



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

IV. Ce circumstantiis in particulari: & primò de circumstantia, Quis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

utriusque, quia alia species malitiae contrahitur ex violatione proprii voti, alia vero ex cooperatione ad violationem voti alieni, ad cuius observationem ego non teneor ex voto, ut constat. Similiter ergo diuersa obligatio est non violandi proprium matrimonium, & non cooperandi ad hoc ut alius violet suum. Tertio occisionem plurium, vel voluntatem occidendi plures, credo communiter non explicari bene in confessione, dicendo, feci homicidium, aut habui voluntatem homicidij: quia homicidium ex communi acceptione significat occisionem hominis, non hominum, quare confessarius conciperet tunc occisionem vnius hominis, & per consequens non intelligeret illud peccatum, quod reuera fuit, sed aliud, sicut si ille, qui furatus est centum, diceret furatus sum viginti, non bene explicat suum peccatum, quia dicit vnum peccatum pro alio. Eadem ratione qui desiderauit peccare cum tribus foeminis, non bene explicaret dicendo, desideravi fornicationem aut habui desiderium fornicationis, quare regulariter existimo explicandum esse in praxi numerum personarum, saltem sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem.

De circumstantia autem sollicitantis foeminam ad fornicationem, an sit explicanda: an verò sufficiat fateri fornicationem, placet, quod cum aliis docet Vasquez in *presenti dicto*, dub. 4. num. 7. non esse explicandam illam circumstantiam, quia illa malitia habetur, licet non ita grauis, quando aliquis non sollicitat: adhuc enim participat cum illa in suo peccato, & est causa cooperans ad eius ruinam; quare solum videtur aggravari magis hæc malitia intra eandem speciem, quando aliquis positivè inuitat, & sollicitat. Quod observandum est pro illis etiam, qui in Missa diebus festis distrahitur volucariè è colloquiis, & confabulationibus; nec enim videntur interrogandi in confessione, an ipsi provocaverint socios ad colloquendum, vel non, cum utrovis modo cooperati sint ad peccatum aliorum, & hæc dicta sunt occasione illius sexti argumenti, quod sit contra nostram sententiam.

Septimo obijci solet, quia in incestu explicari debet gradus consanguinitatis, & affinitatis, licet non afferant ij gradus diuersitatem specificam: Ergo solum debent explicari propter maiorem gravitatem intra eandem speciem. Respondetur, si incestus non sint specie diuersi ex graduum diuersitate, non esse gradus in confessione explicandos, de quo latius *infra* sect. 6. An verò sint specie diuersi, est magna quaestio, de qua Vasquez in *presenti*, dub. quarto à numero undecimo, & mihi probabile est differre specie coitum cum parentibus ab aliis omnibus propter specialem deformitatem, quæ oritur ex peculiari reuerentia parentibus debita, quæ non debetur aliis consanguineis. Probabile etiam videtur differre specie coitum cum fratre, aut sorore ab aliis, quia probabilis est hunc esse iure naturæ interdictum, ut cum communi probat late Thomas Sanchez lib. 7. de *matrimonio*, disp. 52. numero 11. & hoc quidem propter specialem foeditatem, quæ est in illa coniunctione, eo quod fratres ab incunabilis conuiuentes, & simul nutriti nimis proclives essent ad coitum, nisi naturæ fræno prohiberentur ob illam nimiam coniunctionem. In reliquis autem grauibz prohibitis transuersalibus consanguinitatis non videtur esse differentia specifica, sed grauitas maior, vel minor non necessariò explicanda: prout ipsi etiam Auctores contrariæ sententiæ concedunt, tertium, vel quartum non esse necessariò explicandum, imò aliqui idem dicunt de secundo, eo quod non aggravat notabiliter. De grauibz verò affinitatis probabile est, primum gradum lineæ rectæ dif-

ferre specie ab aliis, eo quod habeat specialem quandam deformitatem; propter reuerentiam quasi paternam debitam vxori patris vel marito matris. De aliis autem gradibus transuersalibus verius videtur, non esse explicandos in particulari, quia non addunt diuersitatem specificam. Scio, aliquos concedere, nullum prorsus gradum consanguinitatis, vel affinitatis esse necessariò explicandum, sed solum malitiam incestus, etiam si sit cum filia, vel sorore, quam sententiam post alios sequitur Dian. in *tract. de circumstantiis aggravantibus* resol. 31. vbi alios refert. Hæc in genere dicta sunt. Nunc descendemus paulò magis in particulari ad circumstantias, quæ afferunt differentiam specificam, & quæ debent explicari, & pro pleniori intelligentia indicabimus in sequentibus præcipua capita, ad quæ eiusmodi circumstantiæ reduci possunt.

SECTIO IV.

§. 1. De circumstantiis in particulari, & primò de circumstantia Quis.

Septem solent assignari circumstantiæ peccatorum, ad quas alie reduci possunt, scilicet: *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

De quibus in particulari dicemus, & obiter resoluemus dubia practica, quæ circa illas solent occurrere. Prima ergo est, *Quis*, hoc est, qualis sit persona peccantis, non quidem quando constituitur, sed quando peccatum committit: quod in vniuersum notandum est pro omnibus circumstantiis, quæ quidem non sunt explicandæ, nec attendendæ secundum statum præsentem, sed secundum statum, quem habebat peccans, quando peccauit, ut in fornicatione non refert, an nunc sit coniugatus, vel religiosus, sed an fuerit talis, quando peccauit.

Circa hanc circumstantiam plura dubitari solent. Primo de circumstantia voti, de qua certum est, debere explicari, verbi gratia, eum, qui se de fornicatione accusat, debere explicare, quod habebat votum castitatis, quia transfert ad aliam speciem peccati contra religionem: aliqua tamen dubia sunt circa obligationem constituendi hanc circumstantiam voti, quæ breuiter indicabimus.

§. 2. De circumstantia voti: vbi, An debeat explicari votum, vel similis circumstantia quæ sit in eo, quem penitens induxit ad peccandum.

Certum in primis videtur, non oportere explicare, an pluries, vel semel solum promissa fuerit per votum res illa, quia nec affert circumstantia illa differentiam specificam, neque etiam aggravat notabiliter intra eandem speciem. Dubium est in primis, an qui violauit votum solemne castitatis, verbi gratia, teneatur id explicare; an sufficiat dicere, violavi votum castitatis in tali malitia, de quo late Thomas Sanchez lib. 7. de *matrim. disp.* 27. Lessius lib. 2. de *instit. cap.* 40. dub. 5. n. 40. qui plures sententias, & singularum Auctores referunt, qui videri possunt apud Dianam 1. tom. *tractat. de circumstantiis aggravantibus* resoluit. 3. 4. & 2. tom. *tractat.* 4. resoluit. 67.

Multi negant, debere explicari solemnitatem voti, atque adeo dicunt, sufficere, quod dicat, se habere votum castitatis; quia utrumque votum est eiusdem speciei: quanti sententiam amplectitur Sanchez *vbi supra*, & lib. 5. de *statu religioso cap.* 6. n. 14. & est probabilissima. Alij plures dicunt, oportere,

Cc 4 quod

quod explicetur. Ergo in praxi primam sententiam tutam existimo: stando tamen in ratione, verius putato, quod religiosus non satisfaciatur nisi explicet statum religiosum, quem habet.

Probant hoc aliqui, quia religiosus (& idem dicendum esset de habente ordinem sacrum,) non solum habet votum, sed etiam habet inhabilitatem, & impedimentum irritans ad matrimonium: hæc autem inhabilitas addit circumstantiam specie diversam in fornicatione: ideo enim copula cum consanguinea intra quartum gradum habet malitiam incestus explicandam, quia Ecclesia prohibuit, & irritavit matrimonium inter illos; & ablata Ecclesiæ prohibitione fornicatio cum consanguinea in secundo gradu transuerso non habet malitiam incestus: ergo impedimentum irritans matrimonij sufficit, ut fornicatio religiosi habeat malitiam specie diversam explicandam. Ad hoc tamen sufficienter respondet Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 5. n. 16. malitiam totam, quæ resultat ex impedimento irritanti in religioso, esse eiusdem speciei cum malitia violationis voti. Vtrique enim est contra religionem, & obseruantiam voti, tam enim matrimonium, quam fornicatio prohibetur religioso, vel sacerdoti, propter idem motuum, scilicet, ut obseruet votum castitatis, quod fecit, quare explicata violatione voti castitatis, explicari videtur tota malitia specifica.

148.
Status religiosus an sit explicandus.

Aliunde tamen probari potest diuersitas specifica declaranda à religioso: quia religiosus per vota non solum se obligauit Deo, sed etiam ipsi religioni, cui se dicauit, & donauit: sicut ergo coniux fornicarius; peccat non solum contra castitatem, sed etiam contra coniugem, cui per matrimonium dedit dominium sui corporis quæ est malitia specifica adulterij necessariò explicanda: sic religiosus, qui dedit dominium, non solum suæ voluntatis, & fortunatum, sed etiam corporis religioni, cui se per vota mancipauit, peccat non solum contra votum castitatis, sed etiam contra religionem, cui sui corporis dominium tradiderat, atque ideo videtur aliqualem adulterij maculam contrahere, violando fidem datam religioni: atque adeo deberet hanc circumstantiam religiosi status explicare. Quod autem in statu religioso vota solemnia emiserit, vel solum simplicia, prout in nostra societate plures emittunt, non ita videtur referre, cum per vtrique constituatur in statu religioso, & se religioni mancipet, & consecret, atque adeo quolibet voto ligatus videtur violare religionis ius, siue per solemne, siue per simplex votum ortum fuerit.

149.

An verò Sacerdos debeat in peccatis contra castitatem explicare sacerdotium; an verò sufficiat dicere, se habere ordinem sacrum: verius videtur id sufficere, prout contra aliquos docet idem Sanchez dicta disp. 27. num. 31. & Diana cum aliis, quos refert locis allegatis. Quia votum eiusdem rationis est quod cuiuslibet ordini sacro annectitur: maior autem consecratio, seu dignitas personæ non addit circumstantiam specie diversam.

Denique quod dictum est de ipso pœnitente habente votum, dicendum est de pœnitente, qui peccauit cum persona sacra, aut votum habente: nam femina, quæ peccauit cum sacerdote, satis est, si dicat se peccasse cum habente ordinem sacrum. Item si peccauit cum Religioso, in nostra sententia debet explicare statum religiosum illius, ut explicaret malitiam iuris læsi religionis: sicut quando femina soluta peccat cum coniugato, debet explicare coniugium complicitis propter ius vxoris violatum. Ceterum in sententia contraria, quæ tuta est, ut diximus, & probabilis, satis erit, si dicat se peccasse

cum habente votum castitatis, non explicando, an esset religiosus, vel secularis.

Obiter aduerte contra Llamas in summa part. 3. cap. 8. §. 14. nouitium, aut peccatum cum nouitio, quæ dicitur vel nouitia non debere necessariò illam circumstantiam explicare in peccatis contra castitatem, vt notarunt etiam Megala 1. part. lib. 5. cap. 11. num. 7. & Diana tom. 1. dict. v. act. de circumst. aggrauam. resolut. 7. quia cum nondum habeant votum castitatis, non additur malitia specie diuersa: quod à fortiori dicendum est de clericis minorum ordinum, etiam si habeant beneficium, aut de peccantibus cum illis in materia castitatis.

Circa eandem circumstantiam voti dubitari potest vterius, an qui habet castitatis votum, debeat votum explicare, quando ipse consilio, vel auxilio causa fuit, ut alij tale votum non habentes peccarent contra castitatem, verbi gratia, si religiosus in tertio cedat cum Titia, ut consentiat Caio, cum ad libidinem procuranti, an debeat religiosus circumstantiam sui voti, & status in confessione declarare, P. Thomas Sanchez dicto lib. 5. c. 6. n. 10. simile dubium proponit de religioso, qui actu venialiter malo contra castitatem dat scandalum graue contra castitatem alteri, & est causa, quod ille alius grauius in ea materia peccet, & respondet, in illo peccato mortali scandali non debere necessariò explicari votum castitatis illius, qui scandalum dedit, sed illius, cui datur, si forte habeat tale votum, quia licet illud peccatum scandali sit graue, non tamen est graue contra votum propriæ castitatis, per quod religiosus solum promittit castitatem suam, non alienam. Vnde si peccata contra votum castitatis referuntur: illud non erit reueruatum, quia non eleretur contra votum castitatis, sed contra præceptum non scandalizandi, &c.

Hæc doctrina, nec difficultate caret, nec videtur satis coherere cum iis, quæ idem Sanchez docuerat lib. 1. in decalog. cap. 6. num. 3. & 8. vbi dixit peccatum scandali pertinere ad eandem speciem, ad quam inducitur ille, qui scandalizatur, quare scandalum ad fornicationem pertinebit ad speciem fornicationis: vnde qui absolute promittit castitatem, videtur peccare contra eiusmodi promissionem, quoties contra virtutem castitatis specificè peccat grauius, atque ideo si verè contrahit malitiam eiusdem speciei, quando alium inducit ad fornicationem, ac quando ipse fornicatur; debet in vtroque casu circumstantiam proprii voti explicare.

Est etiam aliunde difficilis illa doctrina, quatenus dicitur explicandam esse circumstantiam voti illius, quod habet is, cui scandalum datur, quia scandalum iudicatum, quo scilicet aliquis non intendit directè peccatum proximi, sed solum ponit aliud, quod præuidet futurum occasionem peccandi proximo; hoc inquam, peccatum regulariter loci quando non videtur habere aliam malitiam, nisi quatenus opponitur charitati erga proximum, cuius detrimentum spirituale deberem impedire, cum commodè possum, & non impedio. Suppono enim me non teneri aliunde ratione officij, neque etiam ex debito iustitiæ: solum ergo opponitur charitati erga proximum, atque ideo non videtur posse esse obligationem explicandi speciem peccati, ad quam scandalizatus inducitur; hæc enim videtur materialiter se habere ad malitiam scandali, quod est solum contra charitatem. Quod inductione probari potest ex aliis peccatis, quæ opponuntur eidem charitati erga proximum, & non variantur specie propter varietate specifica illius mali, quod proximo afferunt, verbi gratia, qui peccat omitendo correctionem proximi, casu, quo debebat, & poterat illum corrigere

corrige, si tamen non tenebatur ex officio, sed prae-
cisè ex charitate, non tenetur explicare in confes-
sione speciem peccati; quod in proximo vitandum erat
per correctionem fraternam, sed sufficit dicere se
omississe correctionem, debitam cum graui detrimen-
to spirituali sui proximi; quia ad debitum charitatis,
cui soli aduersatur illa omisso correctionis, per acci-
dens, & materialiter se habet, quod detrimentum
proximi sit hoc, vel illud peccatum. Item qui ex odio
gaudet de graui malo proximi, vel illud desiderat:
iuxta probabiliorē sententiam non contrahit di-
uersam speciem malitiæ pro diuersitate specifica
mali grauis, quod proximo desiderat: quia charitas,
cui soli illa peccata opponuntur, est eiusdem speciei,
& sic de aliis: ergo cum peccatum scandali oppona-
tur etiam virtuti charitatis, non accipiet speciem di-
uersam ex diuersitate peccati, ad quod scandalizatus
indirectè inducitur.

Contra hoc tamen videtur esse communis Theo-
logorum sensus, qui in peccato scandali dicunt ex-
plicandam esse speciem peccati, ad quod scandalum
inducit. Quod potest à posteriori confirmari: quia
si in peccato scandali solum esset malitia contra
charitatem propter detrimentum proximo illatum,
& nulla esset malitia contra speciem virtutem, cui
opponitur peccatum illud particulare, ad quod pro-
ximus inducitur; sequeretur non esse peccatum
scandali, si inducas aliquem ad rem prohibitam,
quando ille ex obliuione, vel ignorantia inuincibi-
li, non attendit ad prohibitionem, verbi gratia, si
inducas ad comedendas carnes cum qui oblitus est
præceptum hodierni ieiunij. Probatur sequela:
quia tunc nullum prorsus infert detrimentum spi-
rituale, vel corporale proximo, cum ipse non pec-
cet propter inaduertentiam; ergo si illa inductio
non habet malitiam, nisi ex detrimento proximo,
nullam prorsus habebit malitiam in prædicto casu.
Consequens nemo concedet: alioquin liceret indu-
cere ad mendaciam, inobedientiam, & similia, cum
qui inuincibiliter ignoraret, hæc esse illicita. Fa-
tendum ergo est eiusmodi inductioem non solum
aduersari charitati propter spirituale detrimentum
proximi; sed etiam ledere speciem virtutem in
illa materia particulari, quæ indirectè obligat nos,
ne cooperemur alicui ad eius violationem.

Ratio autem à priori colligi potest ex adducto
exemplo ieiunij: in quo licet Prælati, qui ieiunij
præcipiunt, non sit fortasse meus superior, atque
ideo non possit me obligare ad ieiunandum, sed so-
lum suos subditos; adhuc indirectè obligat me, ne
diuertam suos subditos ab obedientia debita, nec
eos inducam positiuè ad violandum ieiunium: quia
eadem lex, quæ directè obligat subditos, obligat
indirectè alios, ne remoueant subditos ab obserua-
tione legis. Vnde licet ego, qui non sum eius sub-
ditus, non peccem proprio peccato inobedientiæ,
inducendo eius subditum ad inobedientiam; pec-
co tamen peccato inobedientiæ indirectè, quæ op-
ponitur indirectè præcepto directo in subditum.
Sic ergo dicendum est de aliis virtutibus: nam li-
cet temperantia, verbi gratia, non me obliget ad ie-
iunandum: obligat me tamen indirectè, ne remo-
ueam à ieiunio eum, quem temperantia obligat ad
ieiunandum. Contra quam obligationem pecco
quidem, non proprio peccato intemperantiæ, sed
alio diuerso, quod accipit speciem ex obligatione
illa indirectè. Vnde licet ego habeam votum casti-
tatis, non pecco contra votum procurando alio-
rum peccata contra castitatem, quia hoc peccatum
meum non est in specie luxurie, sed alterius vitij
accipientis suam speciem ex ordine ad obligatio-
nem indirectam castitatis obligantis directè alios:

debeo ergo explicare in confessione votum casti-
tatis illius, cuius luxuriam procuravi, non meum, si
ego non meæ, sed illius solum incontinentiæ cau-
sa fui.

Ego, vt meam sententiam in hoc puncto ape-
riam, distinguendum puto inter eum, qui directè
intendit peccatum proximi, & eum, qui solum in-
directè illud vult. Suppono enim, tripliciter posse
me alterum ad peccatum inducere. Primo directè
& formaliter intendendo ruinam spirituales pro-
ximi, hoc est, ex desiderio, vt proximus patiat
damnum illud spirituale. Secundo directè, sed non
formaliter; quando scilicet volo, quod ipse vio-
let castitatem, non quia malum eius est, sed quia
inde lucrum aliquod spero. Tertio indirectè, quan-
do, v.g. prævideo, quod ex mea actione proximus
facile occasionem accipiet peccandi: ego tamen id
non intendo, sed quia possem, & deberem scan-
dalum illud impedire, pecco peccato scandali, siue
speciali, siue generali; in quo potest esse quæstio
de nomine. Aliqui enim, cum quibus sentit San-
chez *disto lib. 1. in Decal. c. 6. num. 3.* dicunt, spe-
ciale peccatum scandali reperiri solum in primo
modo inductionis, non in aliis: fatentur tamen
semper in confessione explicandam illam circum-
stantiam scandali: quod ego etiam verum existimo,
quia semper affert nonam speciem peccati, nam di-
uersa specie malitia est, vt dixi, inducere alium ad
non ieiunandum ab ea, quam contrahit ipse, qui
violat ieiunium.

Difficultas est, an non debeat in confessione ex-
plicari circumstantia scandali, sed an debeat sem-
per in confessione explicari species peccati, ad quod
proximus scandalizatus inducitur, an verò sufficiat
dicere, meo exemplo, vel opere dedi occasionem
peccandi grauius proximo, cum deberem id præ-
cauere. P. Sanchez *vbi supra num. 8.* docet, debere
semper explicare speciem peccati, ad quod proximus
inducitur: quod idem videtur supponere P.
Valquez *in 1. 2. quæst. 73. disp. 102. c. 3. num. 5. & c. 7.*
num. 23. vbi supponit, scandalum ipsum esse in
eâdem specie cum peccato, ad quod moneo. Vnde
P. Coninch *disp. 32. de charit. dub. 5. num. 35.* dicit non
esse controuersiam inter Doctores de obligatione
circa modum confitendi illud peccatum, sed solum
restare quæstionem speculatiuam magis, quam pra-
cticam, quando dicatur scandalum speciale, quan-
do generale: & postea *num. 56.* concludit, de-
bere semper explicari in confessione speciem pec-
cati, ad quod scandalizatus inducitur. Affert etiam
illo num. 35. pro illa doctrina M. Bañes *2. 2. q. 43.*
artic. 4. dub. 1. & Lorcan *ibidem disp. 56.* Sed
ij dicunt quidem, confitendam esse semper cir-
cumstantiam scandali, an verò debeat explicari spe-
cies peccati, ad quod proximus inducitur, nihil
dicunt.

Ego itaque eam doctrinam veram existimo,
quoties scandalum fit primo, vel secundo modo,
ita vt formaliter, vel saltem directè intendatur pec-
catum proximi, quo casu dico, debere explicari
in confessione speciem peccati, ad quam proximus
inducitur: quando verò tertio modo inducitur
proximus, præuiso, scilicet, sed non volito direc-
tè eius periculo; tunc puto, satisfieri explicando
malitiam scandali, licet non explicetur species pec-
cati, ad quod proximus induci poterat hanc sen-
tentiam supponit Nauarr. *in summ. cap. 6. num. 19.*
vbi tunc dicit explicandam esse speciem peccati, ad
quam proximus inducitur, quando directè inten-
ditur peccatum proximi: quando verò non inten-
ditur directè, non apponit talem obligationem;
sed solum obligationem confitendi peccatum scan-
dali,

157.
Tripliciter
aliquis alium
ad peccatum
potest inducere.

158.

159.

dali. Hoc ipsum debet consequenter concedere P. Coninch in sententia eorum, qui dicunt non esse explicandas circumstantias aggravantes intra eandem speciem: quia ipse *num. 56*, supra citato dicit, ideo esse explicandam speciem peccati, ad quod proximus inducitur, quia est circumstantia aggravans intra eandem speciem scandali. In quo non videtur mihi ille Auctor satis consequenter procedere: nam ipse *num. 46*, optimè explicuerat, & probauerat, peccatum scandali, quando indirectè solum volumus periculum proximi, non aduersari grauius alteri virtuti, nisi soli charitati, qua tenemur proximi mala impedire: quo principio posito, non deberet postea statuere obligationem vniuersalem explicandi semper speciem peccati, ad quod proximus inducitur, etiam in scandalo indirectè voluto. Nam licet demus, debere explicari circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem: hæc tamen circumstantia non est semper notabiliter aggravans, sed aliquando erit notabiliter diminuens: pone enim, proximum fuisse inducendum scandalo meo indirecto ad minimum peccatum mortale: rursus si ideo explicanda est species illius peccati, quia aggravat meum scandalum, non video, cur in omissione correctionis fraternæ non debeat etiam explicari species peccati, quod in proximo non corrigo, cum etiam maior gravitas illius peccati magis aggravat omissionem correctionis: unde si omittas correctionem hominis variis vitiorum generibus maculati, deberes in confessione explicare omnes species peccatorum, quæ ille habet, nec facile poteris rationem discriminis assignare.

160.

Melius ergo, & clariùs loquutus est in hoc puncto P. Suarez *disp. 10. de charit. sect. 2. num. 9*. ubi cum dixisset, eum, qui dat scandalum indirectum, de quo nunc loquimur, esse causam moralem ruinæ proximi; obijcit aliqua inconuenientia, quæ ex hac doctrina sequerentur: quorum secundum erat, quod in illa actione scandalosa reperierat duplex species malitiæ; altera scandali contra charitatem; altera illius speciei peccati, ad quam proximus inducitur. Ad hoc autem argumentum respondit dupliciter. Prima responsio, & clarior, est, negando sequelam, scilicet, ibi esse aliam speciem malitiæ, nisi contra solam charitatem, quia licet ille homo sit aliquo modo causa moralis ruinæ spiritualis proximi, id solum est, quatenus potest, teneturque vitare peccatum proximi: Unde (inquit) eo modo solum erit causa, quo tenetur: intelligi autem potest, me teneri ad vitandum opus, ne proximus ad peccandum inducatur ex obligatione charitatis, non iustitiæ, vel alterius similis virtutis: quia charitas est vniuersalior, & excellentior virtus: unde magis obligat, & in pluribus casibus: ideo ille in eo casu censetur esse causa moralis ruinæ proximi, ut est contra charitatem, non verò ut est contra alias virtutes. Neque est simile de illo, qui per consilium directè inducit: nam hoc aperte est contra obligationem cuiusvis virtutis; habet enim adiunctam voluntatē contrariam directè illi virtuti. Hæc Suarez, qui licet alteram responsionem adiungat, & dicat, posse concedi illas duas species malitiæ in peccato scandali; priorem tamen non rejicit, in qua breuiter indicauit rationem à priori huius doctrinæ, & differentiam quoad hoc inter scandalum, quo volumus directè peccatum proximi, & illud, quo id volumus solum indirectè; quam rationem latius explicuit P. Coninch *dicta disp. 32. de charitate n. 46. & disp. 28. n. 12*.

161.

Ratio ergo hæc est, quia licet quælibet virtus possit non solum obligare directè ad eam amplectendam, sed etiam indirectè, ne in aliis eam impediam: non tamen obligat me ad procuran-

dum positivè, quod alij eam amplectantur. Iustitia, v. g. obligat me, ne procurem, quod alius furetur; non tamen me obligat, ut procurem, ne alij furentur, nisi forte ex peculiari officio ad id tenear. Castitas obligat me indirectè, ne alios inducam ad luxuriam, non tamen, ut positivè procurem, alios esse castos; nam licet affectus erga castitatem possit ad id etiam inclinare, non tamen obligare, ut notauit bene P. Coninch *dicta disp. 28. num. 13*. Quamvis ergo peccet contra obligationem indirectam castitatis, qui proximo luxuriam consilium non tamen peccat vilo modo contra castitatem, qui proximi luxuriam non impedit; & ideo qui lasciuum non corripit, peccat quidem contra charitatem, non verò contra virtutem castitatis. Sic ergo nec peccas contra iustitiam, si prauident, præter intentionem tuam alium ex tua intemperantia inducendum esse ad furandum, id non impedis; quia iustitia obligat quidem te ne procures alios furari, non tamen ut eorum furta impedis, & ad hunc finem abstineas ab intemperantia.

Possumus autem ad hoc retorquere, & simul dissolvere argumenta suprà pro contraria parte adducta: quia licet Prælati Petri obligans directè Petrum ad ieiunium, obliget me indirectè, ne Petro consulam ieiunij violationem etiam materialem, & cum ignorantiam; non tamen obligat me vilo modo, ut positivè procurem, quod ieiunij, aut impediam ieiunij violationem. Similiter ergo quælibet alia virtus, quatenus Petrum obligat directè, ad suum actum, obligat me indirectè, ne procurem Petrum à suo debito diuertere: non tamen videtur me obligare, ut procurem positivè, quod Petrus suo subdito satisfaciatur, aut impediam violationem eius virtutis, sed tota ea obligatio erit in me ex charitate erga Petrum, qua teneor eius malum impedire, non verò ex obligatione talis, vel talis virtutis particularis. Et quidem si in supradicto casu, quando prauident, ex tua intemperantia Petrum præter intentionem tuam inducendum ad furum, si tunc, inquam, non solum peccas contra castitatem, sed etiam contra iustitiam; difficile explicatur, quomodo non tenearis ad restitutionem, si quidem ex iustitia tenebaris abstinere ab illo peccato intemperantia. Consequens autem negant Sanchez *dicto cap. 6. num. 5*. Suarez *illa sect. 2. num. 10*. Coninch *dicta disp. 32. num. 46. & dicta disp. 28. n. 11. & 12*. ubi ex eo, quod non sit obligatio restituendi; probat, in iis casibus peccati solum contra charitatem, & non contra iustitiam.

§. 3. Dubium incidens, An debeant in confessione explicari persone, coram quibus aliquis turpia loquutus est.

EX hac doctrina, quæ mihi probabilis videtur, colligere possumus ad praxim resolutionem cuiusdam dubij: an scilicet, poenitens, qui se accusat, quod loquutus sit de rebus turpibus, quantum auditu facile induci, & moueri poterant auditores ad aliqua desideria illicita concipienda, vel ad aliquos delectationes morosas, &c. an tunc poenitens debeat explicare, vel à Confessario interrogari de qualitate personarum, quæ aderant, an essent coniugati, an Sacerdotes, an Religiosi, &c. In quo pariter affirmatiuam, ut certam supponit Antoninus Diana *tom. 2. tract. 4. resol. 114*. qui asserti Bonacini *nam de Sacramentis disput. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficultat. 3. num. 21*. & inuehitur grauius in confessarios, qui non interrogant tunc numerum personarum,

personarum quæ aderant, & rursus singulorum statum, & conditionem. Cui doctrinæ consentit etiam Castus Palas loco infra citando.

164. Cæterum, quod attinet in primis ad numerum personarum necessariè explicandum, non video, quomodo Pater Diana possit id tanquam exploratum docere; cum ipsemet *tom. 1. tract. de circumstantiis. aggrauant. resol. 29.* proponat ut probabile non debere explicari in confessione numerum personarum, quas eadem iniuria læsisti, & *resol. 17.* idem dixerit, quando vnica voluntate plures voluisset occidere: est autem omnino eadem ratio, quando vnico actu malo scandalum præbet, & occasionem ruinæ spiritualis pluribus: non potest ergo esse certa obligatio explicandi numerum personarum in peccato scandalosi, si non est certa in supradictis casibus, & ideo *supra sect. 3. n. 135.* consequenter docuimus, idem dicendum esse in peccato scandalosi, quoad numerum personarum.

165. Deinde quoad qualitatem, & conditionem personarum, quæ scandalizantur, non debuit eam obligationem, ut manifestam statuere: fateor id docere Thomam Sanchez, & Bonacinum, Fillium, & Laymam, quos affert idem Diana, sed si attentè euoluatur Doctores antiquiores, non facile inuenietur vllus, qui id dixerit. Imò apud illos duplex erat sententia: altera docebat, scandalum tunc solum dare speciem, & malitiam specificam, quando directè intenditur peccatum proximi; altera verò id concedit etiam, quando non directè, sed indirectè intenditur. Rursus ex iis, qui tenent hanc secundam sententiam, aliqui dicunt tunc solum contrahi malitiam mortalem scandalosi, quando nostro facto, aut verbo conijcimus proximum in grauem difficultatem, & tentationem, cui difficillimè possit resistere, ut docet P. Salas *2. tom. in 1. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 15. num. 132. & 133.* Certum est autem, quod regulariter eiusmodi colloquia turpia non inducunt audientes in adeo grauem tentationem peccandi, cui non nisi difficillimè possint resistere.

166. Vnde ipsemet Sanchez *dicto cap. 6. n. 6. 7.* tandem fatetur, multo excusari ab illa scandalosi circumstantia consistenda, quia vel ipsi tam prauis moribus imbuti sunt, ut eorum exemplum parum moueat; vel si qui mouentur, ij tam faciles ad peccandum, ac induti sunt, ut qui suo exemplo occasionem dedit illis peccandi, non censetur moraliter eos inducere. Quod idem docent plures, quos refert, & sequitur Castus Palas *tom. 1. tractat. 6. disp. 6.*

167. Denique adduximus suprà graues Doctores, qui fatentur, quando præter intentionem præbetur scandalum, solum contrahi malitiam specificam contra charitatem, non contra illam specialem virtutem, cui aduersatur peccatum, ad quod scandalizatus inducitur, Nauarum, Coninch, & Suarez, quibus consentire videtur Salas *illa sect. 15. n. 128. & 134. & 146.* vbi dicit, illam inductionem indirectam non esse in specie fornicationis, sed in specie scandalosi; cuius doctrinæ rationem attulimus, & confirmauimus exemplo præcepti correctionis fraternæ, quam qui omittit, non debet explicare speciem peccati, quod in proximo non correxit; quia solum peccat contra charitatem, & misericordiam spirituales. Consequenter ergo ad illa principia videtur probabile quod in circumstantia scandalosi, quod præter intentionem datur, non sit necessè explicare speciem peccati, ad quod scandalizatus inducitur, atque adeo non oporteat explicare statum, & conditionem singulorum, qui aderant, & moueri poterunt ad effectus contra castitatem ex

illa impudica narratione. Fateor, debere explicari circumstantiam scandalosi: quia siue appelletur speciale, siue generale, dat tamen aliquam specificam malitiam actui, quam non haberet, nisi adesset scandalum, & opponitur non castitati solum, sed etiam charitati. Concedo item, debere explicari speciem peccati, ad quod inducitur proximus, quando directè intendebas verbis illis impudicis eum inducere ad peccatum, siue hoc esset ex desiderio ruinæ spiritualis proximi (quod rarissimum est,) siue ob tuam commoditatem, vel alium finem (quod frequentius est,) quia virtus castitatis, (& idem est de aliis virtutibus) obligans directè proximum ad castitatem, obligat te indirectè, ut supra dixi, ne ex industria procures eum à castitate remouere. Cæterum quando tu neque intendis proximi ruinam, neque etiam eius peccatum, aut lapsum; neque eo sine dicis illa verba, licet prævideas scandalum proximi: probabile videtur, quod solum contrahitur malitia scandalosi contra charitatem, atque adeo non oporteat explicare conditionem proximi, ut declaretur species peccati, quam ipse committere potuit occasione accepta ab illis verbis. Quia, ut dixit Coninch *disp. illa 32. num. 46.* etsi eiusmodi virtutes grauius nos obligent, ut vitia ipsis contraria nullo modo committamus, siue per nos, siue per alios, hæc illis suadendo, aut mandando: tamen ut summum ex decencia, vel certe leuiter nos obligant, ut ea in aliis impediamus, aut ne simus iis præter intentionem occasio ea committendi. Vnde Apostolus Paulus eum, qui cum scandalo pusillum, & infirmorum manducabat oblata idolis, nunquam reprehendit, ut idololatram, sed quia charitatem negligeret, & fratris ruinam non impediret. Sic loquitur ad Roman. 14. *Si enim propter cibum*

168. *frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulat. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Item 1. ad Cor. 8. *Videte autem ne forte hac licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolo recubentem: nonne conscientia eius, cum sit infirma edificabitur ad manducandum idolorum? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratrem, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum, &c.* Eodem modo loquitur c. 10. in quibus locis illam solum videtur agnoscere malitiam scandalosi in eo actu, quo proximus indirectè scandalizatur, quæ opponitur charitati, qua debemus fratres nostros in Christo diligere, pro quibus Christus mortuus est, eorumque spirituales salutem procurare.

S. 4. Quædam alia de circumstantia voti.

169. **R**Est duplex dubium de eadem circumstantia voti. Primum est, an qui peccauit contra votum, quod iuramento etiam consummaverat, debeat hanc circumstantiam iuramenti in confessione explicare, vel sufficiat dicere, se violasse votum. Respondetur, vtrumque esse explicandum: quia est duplex malitia: altera contra fidem Deo datam per votum: altera contra obligationem non adducendi Deum in testem falsum. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 27. n. 26.* vbi affert Henriquez, & Azorium.

170. Secundum dubium est: an Religiosus, qui violat præceptum Prælati, contrahat duplicem malitiam, quam debeat in confessione explicare; an habeat alteram contra votum obedientiæ, alteram contra præceptum, & obedientiam debitam Prælato legitime

legitimè precipienti. In quo puncto duæ sunt sententia. Prima fatetur quidem, posse Prælatum utramque potestate uti, & utroque modo obligare subditum, & tunc subditus contrahet procul dubio utramque malitiam, & utramque tenebitur in confessione explicare. Imò debet etiam explicare materiam præcepti, quod violavit; quia licet inobedientia, quatenus est contra votum, semper sit eiusdem speciei infimæ; solum enim aduersatur religioni, & fidelitati erga Deum: quatenus tamen est contra præceptum, non habet unicam speciem infimam; sed accipit speciem ab illa virtute, ad quam spectabat res præcepta, unde violatio ieiunij præcepti habet malitiam intemperantiæ; violatio verò festi præcepti est contra religionem, & sic de aliis. Unde religiosus violans præceptum Prælati in materia temperantiæ debet explicare materiam illam, ut explicet speciem peccati. De facto tamen dicunt, regulariter loquendo, Prælatus non velle obligare utroque modo, sed communiter vult obligare solum ex voto, quam intentionem explicat, dum dicit, se præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, quæ verba videntur proponere subdito obligationem, quam contrahit ex obedientiæ voto. Quando autem Prælatus præcipit sub excommunicatione; iam tunc utitur potestate iurisdictionis, quam habet à summo Pontifice: & tunc debet explicari materia præcepti, quæ violatur. Addunt aliqui, tunc non præsumi velle Prælatus obligare ex voto, sed solum ex potestate iurisdictionis. Quando tamen præciperet in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicatione, tunc velleret utroque modo obligare, & debet utramque malitia in confessione explicari. Ita docet Thom. Sanch. lib. 4. in Decal. cap. 11. n. 25. & consentit ferè Suar. tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 6. & alij, quos refert Diana tom. 1. tr. de circumst. aggravant. resol. 16.

Sed licet prædicta sententia probabilis sit, verior tamen videtur contraria, quæ docet, in eiusmodi peccatis reperiri de facto utramque malitiam. Quam supponit Vasquez in 1. 2. disp. 98. c. 3. Salas 2. tom. in 1. 2. tract. 13. disp. 3. sect. 2. num. 16. Villalobos in summ. tract. 9. dub. 36. num. 14. & alij apud Sanchez loco citato, quibus consentit Castus Palas tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 5. n. 12. & in primis, quod verba illa, in virtute sanctæ obedientiæ, non restringant obligationem ad solum debitum ex voto obedientiæ, constat ex usu summorum Pontificum, qui passim in suis bullis præcipiunt omnibus fidelibus in virtute sanctæ obedientiæ, quibus verbis non exigunt ab illis obedientiam debitam ex voto, sed ex mera subiectione ad præcepta legitimi superioris; imò in rigore obedientiæ semper respicit superiorem potentem præcipere: cur ergo verba illa magis significabunt voluntatem obligandi ex voto, quam ex vero & proprio præcepto.

Deinde quando constat, Prælatus uti velle potestate iurisdictionis, & imponere verum præceptum, ut cum præcipit sub pœna excommunicationis; tunc, inquam, non censeri eo ipso relictam obligationem ex voto obedientiæ, ut dicebat P. Sanchez, probari potest, quia etiam si vellet, non videtur posse Prælatus velle obligare graviter præcepto obedientiæ subditum; & simul velle, quod non violet votum obedientiæ transgrediendo illud præceptum, sicut non potest velle obligare obligatione iustitiæ subditum ad non accipiendum librum ex Bibliotheca; & simul nolle, quod peccet contra votum paupertatis, si illum accipiat. Ratio enim est eadem in utroque casu: quia sicut per votum paupertatis promissit Deo non peccare contra

iustitiam, accipiendo ex rebus conventus abique consensu Prælati; & ideo non potest accipere librum invito Prælato, quin eo ipso violet votum paupertatis: sit per votum obedientiæ promissit Deo non violare præcepta Prælati, nec peccare contra obedientiam ei debitam: repugnat ergo, quod violet verum præceptum Prælati, & peccet graviter peccato inobedientiæ, & quod non violet votum obedientiæ, quo omnem inobedientiam sibi prohibuit. Non est ergo in potestate Prælati, quod in obedientia subditi religiosi non sit contra votum: si vult, quod sit inobedientia gravis, sicut nec potest facere, quod usurpatio rei communis contra iustitiam, non sit contra votum paupertatis: quia religiosus non solum prohibuit sibi inobedientiam, quando Prælatus vellet obligare ex voto: sed absolute prohibuit sibi omnem veram inobedientiam.

Quod rursus ad hominem confirmari potest: quia ipse P. Sanchez illo c. 11. n. 25. in fine fatetur, religiosum, qui violat præceptum regulæ, obligans sub mortali, contrahere duplicem malitiam: alteram contra votum obedientiæ, quo vult regulam: alteram contra virtutem specialem, in qua materia illius præcepti versatur; quia regula est lex quædam constituens materiam præceptam in ea virtute, ad quam spectat. Ex hoc autem argui potest ad casum nostrum, in quo videtur esse eadem omnino ratio. Nam sicut regula potest obligare utroque modo, sic & Prælatus, si velit, ut fatentur ij Augustini, sicut subditus promissit per votum servare regulam, sic promissit facere ea, quæ Prælatus iniungeret; ergo sicut peccat contra votum, quando non observat ieiunium, verbi gratia, à regula impositum, nec ad hoc requiritur, quod regula in actu signato explicet obligationem ex voto, & dicat, quod subditus obligetur ex voto; sed solum quod præcipiat ieiunium quo præcepto posito, statim resultat obligatio voti, quo promissit observare præcepta regulæ. Sic dicendum est in casu nostro, ut inobedientia sit contra votum, non requiri, quod Prælatus dicat, se velle obligare ex voto, sed solum, se velle obligare, & præcipere: quo præcepto posito, statim confluit obligatio voti, quo eodem modo promissit servare præcepta Prælati, sicut servare regulam. Item si regula, licet non explicet, quod velit obligare potestate iurisdictionis, adhuc censetur eo modo obligare, & constituere rem præceptam in materia talis, vel talis virtutis: cur Prælatus, qui est regula viva, quando aliquod præcipit, non censetur velle obligare eodem modo, & usurpare potestatem iurisdictionis; aut quæ differentia potest afferri quoad hoc inter Prælatus loquentem per regulam, aut loquentem per præcepta actualia? Et quidem hæc videtur esse intentio Prælati, quando vult imponere præceptum grave: vult enim assumere personam Prælati, & potestatem gubernationis, quam habet ut Prælatus, quæ directe parit obligationem contra obedientiam, & constituit rem præceptam in materia talis virtutis: quare oportebit & sufficere in confessione dicere, Violavi præceptum Prælati grave in tali materia; nam hoc ipso explicatur malitia contra votum obedientiæ, & malitia contra præceptum pertinens ad talem virtutem.

S. 5. De aliis circumstantiis tenentibus se ex parte ipsius pœnitentis.

Percurramus nunc breviter alias circumstantias, quæ pertinent ad hoc primum caput personæ peccantis. Prima est impotentia ad copulam, an sit peccata, scilicet, frigidus, vel Eunuchus accusans se de fornicatione, debeat explicare circumstantiam impotentia

tenent generandi. In quo quidquid dubitare videatur Filiucius *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 1. numero 23.* affirmandum videtur cum Sanchio *libro septimo de matrimon. disputat. 5. num. 14.* Henriquez *lib. 5. de penitent. cap. 6. num. 3. in Glossa littera M. Lessio lib. 4. cap. 3. dub. 6. num. 45.* Quia circumstantia illa transfert peccatum ad aliam speciem, nempe contra naturam, quatenus frustratur finis, ad quem natura destinavit copulam carnalem, cum nulla possit ibi esse spes, vel intentio generationis.

176. Secunda potest esse circumstantia sponsalium; an qui habet sponsam de futuro, debeat hoc explicare, dum confitetur copulam fornicariam cum alia. Triplex est sententia. Prima negat explicandam eam circumstantiam: quia per sponsalia nondum traditur ius in corpus, nec potest esse adultera, quæ adhuc non habet virum. Quare sicut qui habet votum ingrediendi religionem, non violat hoc votum, nec tenetur hanc circumstantiam explicare in fornicatione, quam interim confitetur; quia nondum habet votum castitatis: sic qui promisit matrimonium, nondum censetur proximè obligatus ad fugiendam copulam cum illa; sed solum remota, quatenus se obligavit ad suscipiendam illam obligationem proximam per matrimonium de præsentia, quod promisit. Hanc sententiam tenent Covarruvias, & Viualdus apud Sanchez *lib. 1. de matrim. disputat. 2. num. 4. Megala 1. part. lib. 5. cap. 11. quest. 5. num. 9.* Basilus Pontius *de matrim. lib. 11. cap. 6. num. 8.* & probabiliter dicunt Petrus Ledesma apud Sanchez *vbi supra*, & Layman *lib. 5. tractat. 10. part. 1. cap. 1. numero 6.* & probabilior Azor. apud Filiucium *tom. 3. tractat. 30. cap. 2. num. 53.*

177. Secunda sententia docet esse explicandam eam circumstantiam: quia si ex contractu debes vendere, & tradere mihi equum tuum eras, peccas peccato iniustitiæ, si hodie eruto oculo, equum deteriororem reddas: ergo licet corpus sponsæ nondum sit sponso traditum, peccat tamen sponsa contra ius, quod habet sponsus ad illud corpus accipiendum, dum per copulam fornicariam illud longè deterius, & inutilius reddit. Hanc tenent Sarmiento, Ludovicus Lopez, & Ledesma apud Sanchez *vbi supra, num. 5.* Homobonus, Naldus, Syluius, Pitigianus, & Petrus Fay apud Dianam *1. tom. tractat. de circumstant. aggravant. resolut. 5. & 2. tom. tractat. 4. resolut. 67.* vbi addit Molinam, Coninch, Rebellium, Gutierrez, & Ioann. de la Cruz.

178. Tertia sententia media dicit explicandam esse eam circumstantiam à sponsa, vel à peccante cum ipsa, non à sponso, nec ab ea, quæ cum ipso peccavit. Quia licet uterque propter copulam subsequenter alterius possit iuste resiliire, & dissolvere sponsalia, longè tamen grauiorem iniuriam patitur sponsus, & longè grauius onus, ac dedecus subit, quàm sponsa, quæ non nisi leuiter offendi videtur. Hanc tenet Sanchez *illa disp. 2. num. 6.* & pro eadem affert Diana dicta *resol. 5.* Eman. Rodriguez, Filiucium, Fagundez, & Villalobos. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, nec faciliè aliquam ex iis efficaci argumento impugnare.

179. Tertia circumstantia esse potest dignitatis operantis, verbi gratia, si poenitens est Episcopus Generalis, Prælati, an debebat id explicari. Affirmant aliqui, N. n. in *addit. ad 3. part. question. 9. artic. 2. dub. 3. conclus. 2. & 3.* Fagundez *Præcepto 2. lib. 4. capite 3. num. 8.* Quod quidem verum est quando ea circumstantia affertur secum in peccato pecuniarum malitiam scandali, quod non raro reperitur.

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

peritur, quando eiusmodi personæ peccare conspiciuntur.

Ceterum per se loquendo, & in vniuersum non videtur necesse in omni peccato mortali etiam intentio, vel occulto eam circumstantiam explicare, vt supponit Sanchez *lib. 7. de matrim. disputat. 27. num. 33.* Henriquez, Coninch, Filiucius, & alij, quos affert Diana *vbi supra, resolut. 6.* quia secluso scandalo, non transfert circumstantia illa peccatum ad aliam speciem, licet illud aggravet ratione maioris obligationis, qua Prælati debet procurare perfectionem. Hoc tamen etiam reperitur in religioso, qui ratione sui status magis debet procurare perfectionem, & tamen non ideo in quolibet peccato mortali debet explicare circumstantiam status religiosi, vt constat.

Hæc responderi obiter potest ad aliud simile dubium de Gubernatore, aut publicum magistratum gerente; an si ipse furetur, debeat circumstantiam sui officij explicare, ratione cuius debebat furta in Ciuitate impedire. Affirmat vterque Medina apud Dianam *vbi supra, resolut. 36.* Negat tamen Henriquez *lib. 2. cap. 6. num. 3. in Glossa, littera O.* & alij Recentiores communiter: quod verius videtur, & probari potest; quia licet Gubernator ex iustitia tenetur ad impediendum furtum suum pro debito sui muneris; illa tamen circumstantia non adderet nouam speciem, cum iam ipsum peccatum furti constitutum sit in specie iniustitiæ.

Dices: circumstantiam officij addere speciem nouam, quia est contra iustitiam, non solum commutatiuam, sed etiam contra distributiua, quæ obligat Gubernatorem ad impedienda furta propter bonum publicum. Sed contra, quia licet Gubernator constituatur ad hoc, vt impediatur furta, & delicta aliorum, non tamen, vt impediatur sua. Sicut Fiscalis debet ex munere suo denunciare delicta contra bonum publicum, non tamen sua, sed aliorum: & custos vineæ debet manifestare fures, non tamen seipsum; quia omnes constituuntur in ordine ad alios in officio constituendos, non in ordine ad ipsorum delicta impedienda: non ergo accipit ex hoc capite speciem nouam malitiæ furtum illud, vel adulterium, quod à Gubernatore patratetur.

Hinc etiam colligitur à fortiori contra Nunum loco *suprà allegato, conclus. 5.* Sacerdotem percutientem aliquem laicum citra occisionem, aut membri mutilationem, etiam si sit percussio cum effusione sanguinis, non debere explicare circumstantiam proprii Sacerdotij: nam licet magis indecens sit Sacerdoti percussio illa: id tamen non videtur continere speciem malitiæ diuersam in confessione explicandam.

§. 6. De circumstantia ignorantia.

Quarta circumstantia esse potest ignorantia, an scilicet, qui peccauit ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, debeat id explicare; quod est querere, an peccata commissa scienter, & commissa ex ignorantia culpabili sint eiusdem speciei. De quo videri possunt Suarez *in præsentia disput. 22. sect. 4. num. 14.* Vasquez *in 1. 2. disput. 11. Salas 2. tom. in 1. 2. tractat. 13. disput. 8. sect. 8.* qui alios multos congerit. Clariùs tamen, & breuius rem explicuit Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 17. n. 22. & 23.* qui cum reliquis citatis negat eam circumstantiam afferre differentiam specificam; sine enim Missam omittas scienter, sine id facias ignorans præceptum, cum tamen aduerteres debitum inquitendi; peccatum habet malitiam eiusdem speciei.

D d

Aduer

183.

Aduertunt tamen ij Auctores primò explicandam esse ignorantiam, quando ea excusat ab incurtenda censura imposita violanti solum scilicet tale præceptum. Secundò quando ob ignorantiam aliquis exponitur periculo peccandi in alia specie, v. g. si ignores statum fœminæ, quam cognoscis: tunc enim te exponis periculo adulterij, vel sacrilegij, &c. si nupta, si Deo sacra sit. Tertio addunt aliqui explicandam ignorantiam, quando est affectata ad finem liberiùs peccandi. Quod quidem verum est, quando ideo subest, vt diximus, periculum peccandi in alia specie: quando verò non est tale periculum, sed ignorantia affectatur, ne notitia certa præcepti remoueat à peccato, non videtur explicanda ea circumstantia, quia nec mutat speciem, nec etiam notabiliter aggravat: peius enim fortasse est violare præceptum notum, quàm nolle illud cognoscere, vt sine remorsu violetur: plus enim reuerentiæ, & timoris ostenditur in secundo casu, quàm in primo, quidquid dicat Sanchez *loc. cit. num. 2. & 3. & num. 5.*

184.

Ab hac communi doctrina discedit aliquantulum Ioann. Malderus in 1. 2. *quest. 76. art. 2.* vbi obseruat obligationem sciendi, & expellendi ignorantiam circa aliquid dupliciter contingere. Aliquando enim oritur solum ex obligatione aliquid faciendi, vel omittendi, ad quod necessaria est eius cognitio. Aliquando obligatio sciendi provenit ex peculiari præcepto, quo tenemur comparare nobis aliquam scientiam, vt sciamus. Quando ergo obligatio est prioris generis, vnicum peccatum, & eadem in specie malitia est ignorantia, & peccatum ex ignorantia sequitur. Quando verò obligatio sciendi est posterioris generis, ignorantia secundum se est peccatum distinctum à peccato, quod ex illa ignorantia admittitur, verbi gratia, si quis ex ignorantia culpabili Decalogi incidat in peccatum homicidij, duplex peccatum committit: vnum negligentia sciendi illud, quod scire poterat, & debebat, scilicet, Decalogum; alterum homicidij. Sic etiam Confessarius absolvens ex ignorantia eum, quem absolueri non poterat, dupliciter peccat, ignorans ea, quæ ad officium suum pertinent, & indebitè absolvens. Cui doctrinæ consentire videtur Tann. in 1. 2. *disp. 4. q. 9. dub. 1. num. 12.*

185.

Hoc tamen, nisi sano modo, & iuxta id, quod superius diximus, intelligatur, in rigore non est vniuersaliter verum. Fateor quidem aliquam ignorantiam secundum se esse speciale peccatum independentem ab opere illicito subsequuto, qualis est ignorantia culpabilis articuloꝝ, & mysterioꝝ fidei, quorum notitia per se ipsam præcipitur, atque ideo sistendo in ipsa obligatione sciendi, est culpabilis talis ignorantia. Cæterum ignorantia Decalogi, aut earum rerum, quas quisque scire debet ad rectè exequendum munus, & officium suum, non est speciale peccatum contra aliquam specialem obligationem diuersam ab obligatione seruandi legem, vel exequendi debito modo officium proprium. Poterit quidem contingere, quod committens homicidium ex ignorantia Decalogi committat peccatum aliquod diuersum etiam specie à puro homicidio: quia nimirum per ignorantiam totius Decalogi non solum se exposuit periculo homicidij, sed aliorum peccatorum contra Decalogum: quod idem de Confessario, & quolibet alio ignorante, quæ ad officium suum pertinent cum proportionem dicendum est; & tunc oportet explicare etiam malitiam ignorantia. Cæterum si ignorantia culpabilis sit solum circa aliquod præceptum speciale, verbi gratia, circa malitiam, & prohibitionem vsuræ, non est duplex malitia in vsura commissæ ex tali ignorantia; quia tota obligatio sciendi prohi-

bitionem vsuræ nascitur ex prohibitionem vsuræ, quæ tota est in specie iniustitiæ: non oportet ergo distinguere ibi duas malitias, quia perinde se habet tunc obligatio sciendi, sicut in eo, qui culpabiliter ignorat præceptum seruandi festum, vel ieiunandi hac die, qui quidem non contrahit duas malitias, sed vnam contra præceptum festi, vel ieiunii, quod simul obligat ad expellendam illam ignorantiam, quod bene explicuit Valquez in 1. 2. *dila. disp. 219.* & Layman *lib. 1. tractat. 2. cap. 4. num. 10.* qui de ignorantia etiam Decalogi loquuntur, & in vniuersum de omni ignorantia rerum operandarum.

Maior difficultas esse potest circa ignorantiam prioris, quæ versatur circa speculabilia, & opponitur obligationi sciendi sine ordine ad operandum, qualis est ignorantia articuloꝝ fidei. De qua in primis dicendum videtur consequenter esse peccatum eiusdem speciei, licet obiecta, quæ ignorantur, differant specie; quia eadem est obligatio sciendi eas omnes veritates, & contra eandem virtutem, & obligationem fidei peccatur eas omnes ignorando. Vnde Suarez *disp. 15. de fide, sect. 1. num. 7.* aduertit non esse plura peccata: sed vnicum, quando aliquis culpabiliter ignorat plures fidei articulos, quos scire debebat.

Difficultas est, an ignorantia culpabilis circa cuiusmodi articulos sit peccatum diuersæ speciei moralis, à peccato infidelitatis, quo aliquis scienter negat aliquam fidei veritatem; an verò sit eiusdem malitiæ quoad speciem, sicut diximus homicidium ex ignorantia culpabili factum non differre specie moralis ab homicidio scienter commissio. P. Valquez in 1. 2. *disp. 126. c. 2. & 3.* differentiam assignat quoad hoc inter peccatum homicidij, & infidelitatis, vt ignorantia non faciat malitiam specie diuersam in homicidio, faciat tamen differentiam speciei in peccato contra fidem: quia stante ignorantia, manet tota malitia homicidij ex parte obiecti externi: at verò posita ignorantia etiam culpabili, non manet malitia hæresis, vel infidelitatis, quæ consistit in hoc, quod aliquis scienter aduersetur dictis, & auctoritati Dei loquentis, quod non facit, qui ignorat Deum loqui, licet id culpabiliter ignoret.

Hæc sententia, & eius ratio mihi semper difficilis visa est, nec inuenio discrimen quoad hoc inter peccata contra obligationem credendi, & contra alia præcepta. Malitia enim, quæ in infidelitate apparet, vt dicit ipse P. Valquez *num. 4.* sumitur ex eo, quod aliquis offendit auctoritatem loquentis, non credendo, quod dicit. Hæc autem irreuerentia non solum inuenitur, quando aliquis scienter dissentit Deo loquenti; sed etiam quando culpabiliter negligit examinare, an sit doctrina Dei, & ob eam negligentiam re ipsa dissentit iis, quæ à Deo dicuntur. Quod quidem ex ipso irreuerentia exemplo comprobari potest: quia si ego alicui honorem debitum non exhibeo, siue id faciam illum cognoscens, siue ex culpabili negligentia eum ignorans, pertinet ad eandem speciem irreuerentia: vnde qui vulnerat personam sacram, siue scienter id faciat, siue ex culpabili ignorantia, in vtroque casu contrahit eandem malitiam sacrilegij secundum speciem; ergo in vtroque casu offendit, & violat reuerentiam debitam personæ sacræ; sic etiam qui ex ignorantia culpabili irreuerenter se gerit erga Principem, aut summum Pontificem, procul dubio contraheret irreuerentiam contra eorum dignitatem. Similiter ergo qui ex negligentia culpabili negat esse veram, quæ Deus nobis credenda proponit, contrahit malitiam irreuerentia.

irreuerentia contra Diuinam auctoritatem. Fateor quidem maiorem longè fore irreuerentiam, si scienter neget, quæ fides docet: id tamen non sufficit ad differentiam specificam; quia maior etiam irreuerentia est Principem, vel Pontificem cognitum dehonore, quam culpabiliter incognitum: maior etiam iniustitia est, hominem scienter occidere, quam quem ex culpabili ignorantia feram existimas: & tamen in iis, & similibus casibus non ponitur differentia specifica inter malitias. Similiter grauior inobedientia est scienter violare præceptum Prælati, quam culpabiliter ignoratum, & tamen non est differentia specifica inobedientia. Cur ergo irreuerentia contra auctoritatem Dei loquentis cognitam, vel culpabiliter ignoratam faciat illam distinctionem specificam magis, quam in aliis peccatis?

189. Dicunt deesse ex parte obiecti malitiam completam obiectiuam infidelitatis; quæ consistit in dissentiendo scienter iis quæ Deus dicit: sed contra, quia etiam ego dicam in dehonoratione Pontificis culpabiliter incogniti deesse malitiam illam specificam obiectiuam, quæ est dehonore scienter Pontificem: item in inobedientia ex ignorantia culpabili præcepti deesse malitiam illam completam specificam, quæ est agere scienter contra obedientiam; atque adeo esse duas species inobedientia, vel dehonorationis, sicut ponis duas species agendi contra auctoritatem, & testimonium diuinum. Sicut ergo in iis exemplis reperitur eadem malitia contra reuerentiam, aut contra obedientiam, licet minor, quando ex ignorantia, quam quando ex scientia peccatur; sic in casu nostro videtur esse malitia in specie in utroque casu contra reuerentiam debitam diuino testimonio; quæ quidem obligat non solum ad non negandum scienter id, quod Deus dicit, sed etiam ad non exponendum nos periculo id negandi temerè propter inconsiderationem, & negligentiam nostram.

190. Confirmatur; quia in aliis materiis exponens se culpabiliter periculo alicuius peccati contrahit malitiam illius peccati, & exponens se manifesto periculo incidendi in hæresim, contrahit malitiam hæresis, licet non omnino consummatam, vt fatentur Suarez disputat. 19. de fide, sect. 6. num. 18. & tamen ille nondum resistit scienter testimonio diuino: ergo similiter qui ob negligentiam culpabilem exponit se periculo negandi id, quod Deus dicit, & quod tenebatur credere, contrahet malitiam eiusdem rationis, licet non sit peccatum infidelitatis, aut hæresis consummata, vt postea dicam.

191. Dices: diuersa malitia est significare Deum non esse veracem, quod videtur facere, qui scienter negat fidem, & diuersa est negligentia in examinanda fide proposita, an verè proposita sit; per quod non videtur se quis opponere veritati Dei. Sed contra, quia ad peccatum infidelitatis non requiritur, quod aliquis neget Deum esse veracem: imò nullus fortasse hæreticus, aut infidelis id negat, sed negat esse reuelata à Deo, quæ nostra fides proponit: hoc tamen sufficit, ad veram infidelitatem; quia auctoritas Dei non solum exigit, quod non negemus Deum esse veracem, sed etiam quod non negemus ea, quæ Deus dicit: ad quod necesse est non negare Deum loqui, quando eius loquutio sufficienter nobis proponitur. Sicut ergo contrahit malitiam infidelitatis, qui negat Deum reuelare hæc mysteria: sic poterit eam contrahere, qui ex negligentia culpabili vult se exponere periculo negandi, quod ex diuino testimonio credere tenebatur.

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

Propter hæc ergo alij eodem modo loquuntur de peccatis contra fidem, sicut de peccatis contra alia præcepta, vt eodem etiam modo contrahant malitiam eiusdem rationis, siue scienter, siue ex ignorantia culpabili committantur. Soto in 4. distinct. 2. question. 22. artic. 3. post 5. conclusion. Lorca 2. 2. question. 11. disputat. 41. numero 15. & fauent Bonauent. in 4. distinct. 13. dub. 4. circa sextum. Alij saltem id concedunt in habente ignorantiam affectatam. Ita Cano locis Theolog. lib. 12. cap. 8. & cap. 9. Petrus Nauarra lib. 2. de restruct. cap. 4. part. 2. dub. 8. numero 208. & in vniuersum de proferente hæresim ex ignorantia qualibet mortaliter culpabili; idem docet Thomas Sanchez libro secundo in Decalog. capite septimo numero 24. confirmans doctrinam generalem, quam tradiderat libro primo, cap. 17. numero 15. de omnibus peccatis ex ignorantia factis pertinere ad eandem speciem, ad quam pertinent scienter facta, quam regulam dicit in præsentem etiam materia locum habere.

193. Dices, ergo qui ex ignorantia culpabili negat res fidei, peccat vero peccato infidelitatis, sicut qui scienter eas negat, atque adeo perdidit habitum fidei infusæ, quæ quidem licet in peccatore maneat, peccato tamen infidelitatis deperditur, iuxta doctrinam Trident. sess. 6. cap. 15.

Respondetur fidem deperdi peccato infidelitatis consummato, & perfecto: hoc autem peccatum ex ignorantia culpabili commissum, licet particeps eandem specie malitiam; non tamen habet denominationem infidelitatis simpliciter, & propriè. Sicut ille etiam, qui culpabiliter exponit se morali periculo incidendi in hæresim, contrahit malitiam hæresis, vt supra vidimus; & tamen nondum est hæreticus, nec perdidit habitum fidei infusæ: quin denominatio hæretici, & infidelis ultra malitiam specificam, requirat alias condiciones, quæ licet non afferant differentiam essentialem, sunt tamen necessariae ad tale peccatum in individuo.

194. Ratio autem, cur non perdat fides infusa quolibet peccato illius speciei, sed sola infidelitate, ea reddi potest; quia quandiu aliquis non dissentit scienter Deo, potest credere debito modo, quæ sibi sufficienter proponuntur, vt reuelata à Deo; nam licet ex negligentia culpabili ignoret aliqua quæ debebat credere, adhuc circa alia, quæ non ignorat, potest exercere verum assensum fidei supernaturalis, & illa debito modo credere, atque ideo habitus fidei non erit in ipso inutilis, & otiosus, sed utilis ad credendum, prout de facto credo, quæ non ignorat. At verò qui scienter rejicit testimonium Dei sufficienter propositum, dum in ea dispositione perseverat, non est dispositus ad credenda debito modo alia obiecta propter auctoritatem Dei, quam circa vnum articulum scienter rejicit, atque ideo habitus fidei inutilis, & otiosus maneret, & idcirco meritò ab ipso tunc aufertur, licet non auferatur, quando solum ex ignorantia culpabili errat circa fidei veritatem.

195. Dices, qui peccat etiam peccato proprio infidelitatis, potest, dum est in ea dispositione, credere alios articulos, circa quos non errat: potest enim negare aliquem articulum, non quia sentiat Deum mentiri, sed quia non credit Deum illum reuelasse; qui tamen est proprius actus infidelitatis, imò hæretici, & infideles regulariter non negant veritatem Dei, vt supra diximus, sed solum negant Deum reuelasse hos articulos: & tamen hoc sufficit, vt perdant habitum fidei infusæ, licet in eo statu possint ceteros articulos

D d 2 credere

credere propter Dei testimonium, quod circa illos acceptant, ergo similiter deberet perdi habitus fidei ab eo, qui ex ignorantia culpabili errat circa articulos fidei, licet in eo statu paratus sit ad credenda omnia, quae ex parte Dei sibi sufficienter proponuntur.

196. Pater Conincha *disput. 18. de fide, dub. 4. num. 31.* admittit aliquando habitum infusum perdi, quando homo ex negligentia culpabili, & ex affectu erga errorem contrarium non vult intendere considerationem ad res fidei sufficienter ex se propositas. Sed quidquid sit de hoc, ad objectionem propositam responderi facile potest eum, qui negat testimonium Dei sibi sufficienter propositum, licet non neget Dei veritatem, esse verè, & propriè infidelem, nec posse, dum est in dispositione, credere alios articulos debito modo, sicut potest ille, qui ex ignorantia culpabili errat circa unum articulum, quem credere debuisset. Pro quo suppono ex contractu de fide, Christianam fidem includere voluntatem credendi Deo super omnia, & exhibendi divinae Auctoritati supremum cultum intellectualem. Hic autem supremus cultus intellectualis includit duo, scilicet credere verum esse, quod Deus dicit, & non negare Deum dicere, & loqui, quando eius loquutio sufficienter proposita est. Nam si in hominem altero intellectus deficiat, dissensit Deo loquenti, & testificanti, atque adeo deficit in cultu intellectuali debito. Hinc constat; quomodo haereticus, qui testimonium Dei sufficienter propositum rejicit, non possit debito modo alios articulos credere; quia non potest habere voluntatem illam exhibendi cultum supremum intellectualem diuino testimonio, sine qua voluntate fides non operatur suum proprium, & perfectum actum: ideo merito aufertur habitus fidei durante tali dispositione: sicut aufertur habitus charitatis à peccatore, quia durante illa dispositione, non potest Deum diligere super omnia, licet possit Deum, vicumque, & minus perfectè diligere. At verò qui solum ex ignorantia culpabili errat, potest adhuc habere eiusmodi voluntatem circa articulos sibi propositos exhibendi cultum supremum intellectualem diuino testimonio, scilicet credendo, & acceptando semper ipsum testimonium Dei, & rem testificatam: in neutro enim deficit ex parte intellectus, qui ex ignorantia culpabili errat; cum semper credat utrumque, quoties sibi proponitur. Potest ergo manere in eo habitus fidei infusus, cum non sit otiosus, & inutilis in eo statu.

197. Vnde à fortiori colligitur, multò minùs eiusmodi errantem ex ignorantia culpabili incurrere penas, aut censuras Ecclesiae contra haereticos latas: quia licet malitia sit eiusdem speciei, non tamen intelligitur nomine haeretici, nisi ille solus, qui pertinaciter, & scienter negat fidei veritates: sicut neque intelligitur quicumque fidem negat, sed qui post Baptismum eum negat; licet illa circumstantia non faciat peccatum infidelitatis specie diversum. Videatur Sanchez, qui alios multos affert *lib. 2. in Decalog. cap. 7.* & Suarez *disput. 19. de fide, sect. 3. & 5.*

198. Concludimus ergo ex dictis circumstantiis ignorantiae culpabilis, aut scientiae, non afferre differentiam specificam, nec debere explicari, nisi in ordine ad censuras, vel reservationem, ut contingit in peccato haereticis. Facilius admitti posset, quod docuit Suarez *disput. 16. de fide, sect. 1. num. 10.* differre specie peccatum omissionis à peccato commissionis contra fidem, verbi gratia, si quis negatiue se habet, abstinendo ab assensu, quem deberet elicere, non tamen ex dubitatione, aut in-

certitudine, sed ob alias causas, hic peccaret contra fidem, sed eius peccatum non habet eandem specie malitiam, quam peccatum illius, qui positiue dissentiret rebus fidei: sicut non est eadem malitia in specie in omissione dilectionis, Dei debita ex praecepto, & in odio positio Dei, atque adeo differentia illa debet omnino in confessione explicari.

Petes, an circumstantia illa, quod aliquis peccauerit ex conscientia erronea, sit explicanda. De hoc dicemus latè *infra sectione 12.* explicando circumstantiam, quae vocari solet, *Quomodo.*

§. 7. De circumstantia consuetudinis.

Hæc etiam circumstantia pertinere videtur ad personam poenitentis, per quam, scilicet explicatur, qualiter dispositus fuerit ad peccandum facilius. Et quidem debere explicare eam consuetudinem præcedentem, docent Henriquez, Fagundes, & alij, quos refert Diana *tom. 1. tractat. de circumstant. aggravant. resol. 15.* atque ideo qui ex inueterata consuetudine hodie fornicatur, non satisfacit confitendo peccatum hodiernum solum, nisi dicat etiam consuetudinem præteritam, licet illa priora peccata iam confessus fuerit.

Hanc sententiam communiter reiciunt Theologi, Suarez, Vasquez, Reginaldus, Bonacina, & alij, quos affert idem Diana ibi; quia peccata præterita non addunt hodierno peccato aliquam circumstantiam novam, præsertim specie diversam. Pro huius tamen communis doctrinae explanatione, distinguendum videtur de consuetudine, quædam enim est consuetudo, quæ solum inducit ad similia peccata postea committenda, quæ tamen quando fiunt, habent suam propriam, & novam libertatem, ac malitiam, ut cum quis ex consuetudine depravata peierandi, iurat, frequenter falsum, sed semper cum advertentia sufficienti ad novum peccatum committendum. Altera est consuetudo, quæ inducit quidem ad similes actus postea ex habitu faciendos, sed absque nova advertentia, aut libertate nova ad novum peccatum: ut cum ex depravata consuetudine iurandi, iurat aliquis falsum sine advertentia ad id, quod facit.

His suppositis, si sermo sit de priori consuetudine, res videtur clara, quod non sit necessariò explicanda, nisi confessarius interroget, (tunc enim debere explicare, diximus *supra disput. 14. num. 7.*) quia peccata illa, quibus comparata est consuetudo iam sunt explicata in præcedenti confessione; peccatum autem præsens non aggravatur; imò videtur minùs grave propter consuetudinem, & habitum præcedentem; sed tamen hoc ipsum non caret difficultate: quia consuetudo videtur esse speciale peccatum distinctum à peccato, quod ex ipsa consequitur; quod non declaratur, nisi seorsum explicetur: nam ponere, vel retinere occasionem proximam peccandi mortaliter, est peccatum mortale, quod debet explicari in confessione, ut fateretur Vasquez *in præsent. quest. 91. art. 3. dub. 3. num. 3.* quod quidem intelligi debet, quando inter occasionem proximam, & peccatum ex ea subsequutum intercessit mora notabilis sufficiens ad interruptionem actus, & ad multiplicanda numero peccata; alioquin reputabitur unum, & idem peccatum: scilicet, qui per plura peritura comparat consuetudinem peierandi, eo ipso constituit se in periculo, & occasione

occasione proxima peierandi postea, & peccandi iterum: ergo debet in confessione explicare illam circumstantiam consuetudinis; quatenus includit periculum morale, & occasionem proximam ad peccata subsequenda: quam quidem circumstantiam nunquam explicuit in confessionibus praeiuratis, in quibus accusauit se in singulis de duobus, vel tribus peiuratis, per quod non explicabat consuetudinem, & occasionem moralem peccati subsequentis: debet ergo in confessione subsequenti explicare circumstantiam consuetudinis; vt explicet periculum morale, cui se exposuit.

Adhuc tamen regulariter non videtur necessitas explicanda illa circumstantia: tum quia homines non attendunt communiter ad illud periculum morale sequentis peccati, quando aliquod peccatum committunt, nec facile discerni potest quando consuetudo perueniat ad eum gradum, vt inducat iam occasionem moralem proximam aliorum subsequentium peccatorum: tum etiam quia exponere se periculo fornicationis, verbi gratia, non habet malitiam specie diuersam ab ipsa fornicatione: cum ergo explicuit in confessione praecedenti suam fornicationem, iam explicuit totam malitiam specificam illius peccati: nam circumstantia illa periculi, quod subiit alterius fornicationis, non addit malitiam specie diuersam, licet aggrauet intra eandem speciem: vnde regulariter non videtur obligandus poenitens ad fatendam necessarium consuetudinem, nisi interrogatur.

Maiores difficultates esse potest de consuetudine posterioris generis, quae scilicet est causa faciendi postea similes actus absque deliberatione sufficienti, vel aduertentia. In quo casu certum in primis videtur actus subsequentes sine deliberatione praesenti factos non esse noua peccata, sed solum esse peccata in sua causa, nempe in consuetudine praecedenti liberè volita, seu esse effectus peccati, vt cum aliis probat Thomas Sanchez lib. 3. in Decalog. cap. 5. numero 18. & Suarez tom. 1. de Religione tractat. 3. lib. 1. de irreligiosis. cap. 6. numero 2. & tom. 2. lib. 3. de iuramento, cap. 7. numero 3. & sequentibus. Vnde non erit necesse iuramenta sequentia absque aduertentia prolata in confessione explicare; sed solum causam culpabilitatis antea positam, nempe consuetudinem illam volitam, aut permissam, vt notant iidem Sanchez ibi numero 33. & Suarez dicto lib. 3. cap. 8. numero 5. quia effectus peccati praecedentis non habens malitiam praesentem, non debet necessarium explicari, nisi ob reservationem, vel censuram, aut quid simile, vt infra dicemus. Imò addit Sanchez ibi numero 34. quando esset reservatio, vel censura pro periurio, non comprehendi iuramentum illud falsum sine praesenti aduertentia prolata ortum ex consuetudine culpabili praecedenti.

Ex hoc tamen oritur non leue dubium; cur scilicet sit obligatio grauis auferendi illam consuetudinem, ita vt permissio consuetudinis sit peccatum mortale: cum enim actus subsequentes non sint peccata propter inaduertentiam; consuetudo, ex qua illi actus oriuntur, non erit mala, saltem ex eo capite, cum non exponat hominem periculo mortali peccandi, sed solum faciendi aliquid absque peccato propter inaduertentiam. Quod argumentum in materia iuramenti videtur magis vigere: quia quando aliquis ore profert verba, quae sufficerent ad iuramentum, sed ea profert sine villo animo iurandi, quia inuincibiliter ignorat illam esse iurandi formulam, verè non iurat propter defectum aduertentiae; ergo ille actus nullo mo-

P. Ioann. de Lugo de Paniscuria.

do est periurium, atque ideo consuetudo, ex qua fit, vt proferantur illa verba absque aduertentia, & per consequens absque animo iurandi non est causa periurij subsequentis, siquidem illud neque est periurium, neque iuramentum. Quare sicut contumelia ab ebrio non est verè contumelia, & ideo non est peccatum, neque in se, neque in causa, quia de ratione contumeliae prohibita est, quod sit verbum humanum ab homine ratione vidente prolatum: sic iuramenta falsa absque aduertentia prolata non erunt iuramenta, atque ideo neque in se, neque in causa erunt peccata licet praevisa fuerint. Quod hoc argumento conuictus concessit Ioannes Sancius in selectis, disputat. 20. numero 5. quem refert Diana 2. ign. tractat. 5. Miscell. resol. 62.

Commonis tamen sententia Theologorum docet praedictam consuetudinem, qua fit, vt aliquis iuret falsum sine aduertentia, esse culpabilem in se & debere auferri, vt cum aliis tradit Thomas Sanchez dicto cap. 5. num. 13. & 14. Pro quo aduertendum est actum illum, qui ex consuetudine oritur, aliquando esse talem, vt etiam sine aduertentia factus, retineat in se totam malitiam obiectiuam, ratione cuius prohibetur, vt contingit in homicidio; vulneratione, & similibus: quae siue fiant cum aduertentia, siue sine illa, semper retinent malitiam, seu indecentiam obiectiuam, ob quam prohibentur, ita vt adueniente aduertentia habeant iam malitiam formalem. Et de his non est dubium, quin consuetudo, quae facit, vt fiant eiusmodi actiones absque aduertentia, sit culpabilis, & peccatum: vnde qui praevider homicidium in ebrietate sequuturum, peccat peccato homicidij, quia tenebatur in causa illud impedire.

Aliquando verò ij actus sunt tales, vt sine aduertentia facti non retineant malitiam obiectiuam, ob quam prohibetur, verbi gratia, contumelia, quae si ab ebrio proferatur absque usu rationis, non est contumelia, nec habet malitiam obiectiuam contumeliae; quia non sunt verba humana; sed perinde ac si à phitaco proferrentur: quod idem est de iuramento in ebrietate, somno, vel amentia prolato, quod propter eandem rationem non retinet malitiam obiectiuam, & ideo non contumelia, nec periurium in ebrietate, aut somno proferenda, etiam si praeviderentur, essent peccata in se, vel in causa, quia posita illa circumstantia non retinent iam malitiam obiectiuam propter quam prohibentur.

Alter tamen dicendum est de iuramento, quod non in ebrietate, aut somno proferitur, sed ab habente rationis usum, sine aduertentia tamen actuali: eiusmodi enim periuria possunt esse peccata in causa, & est obligatio auferendi consuetudinem, ex qua oriuntur; quia semper retinent aliquam turpitudinem obiectiuam, quae potest dupliciter considerari. Aliquando enim inaduertentia potest esse solum circa prohibitionem, non circa substantiam actus, vt si aliquis ex consuetudine iuret falsum aduertendo quidem ad iuramentum, & ad falsitatem, nullo tamen modo ad prohibitionem, vel malitiam periurij: & tunc actus ille retinet in se malitiam, & indecentiam obiectiuam, quia adducitur Deus in testem rei falsae. Sicut ergo prohibetur mihi adducere Deum in testem falsitatis: sic prohibetur velle in causa ponere illum actum, per quem adducam postea Deum in testem falsitatis; atque ideo consuetudo, ex qua sequitur postea talis actus, quo adduco Deum in testem falsitatis, erit eodem modo prohibita.

De 3. Quod

206.
Consuetudo
iurandi

207

208

Quod etiam procedit in eo, qui ex deprauata consuetudine iurat, non attendendo ad prohibitionem, nec etiam ad veritatem, aut falsitatem rei, quam iurat: nam hæc etiam consuetudo est mala, & debet auferri propter eandem rationem: quia adducere Deum in testem cum periculo falsitatis, de se habet malitiam obiectiuam, ob quam prohibeatur talis actus: ergo consuetudo, quæ facit, ut ponatur talis actus, eodem modo erit prohibita: quod constat ex posito exemplo homicidij, quia non solum deo auferre causam, verbi gratia, ebrietatem, ex qua sequitur homicidium, sed etiam illam ex qua sequitur, quod projiciam sagittam in aliquem, non attendendo an sit homo, vel fera; quia hæc etiam actio est mala obiectiua, atque ideo deo impedire eius causam: similiter ergo deo impedire causam, ex qua fit, quod vel adducam Deum in testem falsi, vel in testem alicuius rei, non attendendo, an sit vera, vel falsa.

209. Denique aliquando inaduertentia, & inconsideratio actualis potest esse non solum circa prohibitionem, aut falsitatem, sed etiam circa substantiam iuramenti, verbi gratia, si quis inuisibiliter ignoret, contineri iuramentum in illis verbis *Per Deum* aut *Per vitam meam*: & ideo assuetus est illa verba passim absque iuramenti intentione, aut scrupulo proferre: postea vero cognito errore, prosequitur ex consuetudine proferre eadem verba, sicut prius, absque intentione iurandi, aut aduertentia, quia non recordatur significationis illorum verborum, quam didicit denuò à Confessario. Et quidem in hoc casu posset esse maior difficultas, an teneatur sub peccato mortali procurare auferre sibi illam consuetudinem. Nam illi actus indeliberati verè non sunt iuramenta, cum non habeat animum iurandi, nec adducendi Deum in testem: ergo non retinent turpitudinem obiectiuam, ob quam periurium prohibetur: ergo consuetudo, quæ ex causa illorum actuum, non est causa alicuius actus prohibiti, vel habentis turpitudinem obiectiuam; non est ergo obligatio auferendi illam causam: sicut neque est obligatio vitandi ebrietatem propter contumelias, quæ in ebrietate proferuntur, eo quod illæ absque rationis usu prolatae non sunt veræ contumelias; & hoc fortasse solum intendit Ioannes Sanchez supra citatus.

210. Cæterum communis sententia etiam in hoc casu agnoscit grauem obligationem auferendi illam consuetudinem, ut tradunt expressè Thomas Sanchez illo num. 14. & Suarez ibi adductus cum alijs. Probari autem potest primo ab absurdo: quia si aliquis consuetudinem haberet proferendi frequenter verba illa, quia inuincibiliter ignorabat continere blasphemiam impiissimam contra Deum, aut contra Beatam Virginem; postea vero cognita significatione eorum verborum, ex consuetudine, & habitu prosequeretur, & proferret absque aduertentia ad blasphemiam, eadem verba, quis dicat hunc non debere sub peccato graui procurare auferre à se eiusmodi consuetudinem, sed posse licitè in ea perseuerare, eo quod actus omnes propter inaduertentiam non essent propriæ, & veræ blasphemias: similiter ergo de consuetudine proferendi iuramenta absque aduertentia ad iusiurandum dicendum est.

211. Ratio autem à priori esse videtur, quia non solum continent turpitudinem, & indecentiam obiectiuam verba illa prolata cum animo blasphemandi, aut iurandi falsum; sed etiam prolata absque illo animo, dum tamen exterius sonent blasphemiam, aut iuramentum, & cum sensum generent apud audientes. Vnde quidquid sit, an pec-

cet peccato periurij, qui exterius iurat falsum sine animo interno iurandi, peccat tamen grauius contra religionem, vsurpando ea verba, quæ exterius sonant, & significant audientibus iuramentum rei falsæ, ut cum alijs tradit Suarez 2. tom. de relig. cap. 37. num. 2. & sequentibus, ubi idem omnino docet quoad hoc de proferente iuramentum falsum, sine animo iurandi, & de proferente verba blasphemias sine animo blasphemandi. Vtrumque enim dicit peccare mortaliter: & addit illam ipsam fictionem periurij esse grauem iniuriam Dei, & valde perniciosam societati humanæ: quod verissimum est, quia ad tollendum commercium humanum perinde se habet proferre verba iuramenti externi falsi absque animo iurandi, & proferre cum vero animo iurandi, si ille defectus animi ex modo loquendi colligi nullo modo possit. Habent ergo illa verba secundum se, & absque animo iurandi prolata, turpitudinem, & indecentiam obiectiuam, ratione cuius tenetur homo ea non velle, neque in se, neque in causa, atque adeo debet tollere, si posset causam, & consuetudinem postquam nouit indecentiam illorum verborum. Non ergo excusatur ab ea consuetudine tollenda ille, qui postea proferit verba absque attentione, & aduertentia ad iusiurandum, quod continent, & per consequens debet confiteri illam consuetudinem voluntariè permittam, quia licet iuramenta subsecuta non fuerint peccata in se; imò nec iuramenta, ipsa tamen consuetudo voluta, & permissa fuit peccatum propter rationem assignatam. Qualis autem diligentia adhiberi debeat ad tollendam illam consuetudinem, videri potest latè apud Thomam Sanchez loco citato.

Vnde iam constat responsio ad exemplum, quod afferebatur de contumeliis in ebrietate prolatis; quæ quidem nec sunt peccata in se, nec in causa. Discrimen enim est clarum: quia verba illa contumeliosa prolata ab ebrio nullam retinent turpitudinem obiectiuam; cum non recipiantur ab audientibus, tanquam veræ contumelias, sed sicut si proferrentur à pſittaco: at verò in casu nostro verba blasphemias, vel periurij sonant blasphemiam, & periurium, & in eo sensu accipiuntur ab audientibus, & idcirco vitari omnino debent in se, & in sua causa.

§. 7. De circumstantia Virginitatis.

Restat hæc circumstantia, quæ etiam pertinet ad personam pœnitentis; obiter tamen declarabitur an debeat explicari, quando se tenet ex parte copulicis, vel personæ concupitæ. Quæstio ergo est, an in peccatis contra castitatem debeat pœnitens explicare, se esse, vel non esse virginem.

In hoc plures sunt sententia. Prima docet eam circumstantiam non esse explicandam in actu interno, debet tamen explicari in opere externo. Hæc tribuitur Soto in 4. disp. 18. questione 2. art. 4. quem pro ea sententia citant Nauarrus in summa cap. 6. num. 8. Suarez in presenti disp. 2. sect. 4. num. 4. Navarra lib. 2. de restit. capite 3. numero 433. Medina, & alij plures. Quos tamen alij reprehendunt, quasi hoc absque fundamento Soto imposuerint. Ita Sanchez lib. 7. de matrim. disputat. 14. numero 14. Valquez de restit. cap. 3. §. 1. dub. 1. num. 5. & in 1.2. disp. 112. cap. 1. Diana 1. tom. tract. de circumstans. aggrau. resolut. 11. Salas 2. tom. in 1. tract. 13. disputatione 6. num. 59. & alij Recentiores. Sed re vera Sotus ibi differentiam aliquam agnouit inter peccata interna, & externa: postquam enim dixit, non esse interrogandas puellas,

an sint virgines, vel corruptæ, quando se accusant de consensu in peccatum turpe: addit hæc verba: *Quando verò confitetur perpetratum opus, tunc bonum est querere an fuerat virgo, & etiam à masculo: nam siue mutet speciem, siue non, est graue detrimentum: quia irrecuperabiliter illi perditur aureola virginitatis: & puella grandem fecit iacturam honoris, & periculum sibi creauit, si postea à marito non reperitur integra.* Quibus verbis licet fortasse non intendat imponere omnimodam obligationem illud interrogandi etiam in opere externo; rationes tamen, quas adducit, eodem modo procedunt de actu interno, ac de externo; cum totum illud malum, & iacturam aureolæ, ac honoris, periculum, &c. velit, & amplectatur, qui actu interno consentit in opus turpe, quod ea omnia mala affert, & ideo non absque aliquo fundamento impugnatur ab aliis propter differentiam, quam voluit in hoc inuenire inter peccatum internum, & externum, cum eadem omnino sit ratio de vtroque.

114. Secunda sententia in vniuersum docet, esse explicandam eam circumstantiam, tam in viro, quam in femina: quia in vtroque affert damnum irreparabile, iacturam scilicet virginitatis, & aureolæ. Ita Nonnus in addit. ad 3. part. quest. 9. art. 2. dub. 3. conclus. 5. & quidem alij Thomistæ: quia semper affert notabile detrimentum irreparabile circa aureolam virginitatis.

Tertia sententia docet, esse explicandam eam circumstantiam, quando se tenet ex parte femine, secus quando se tenet ex parte viri, quia ex parte femine addit speciem stupri, quod est vitium contrarium non castitati secundum se, sed virginitati, quæ est diuersa virtus: ex parte verò viri non datur stuprum, nec sequuntur ea damna, quæ sequuntur in femina. Hanc late probat Caiet. 2. 2. quest. 154. art. 6. quem sequuntur alij plures, quos afferunt Vasquez loco citato, & Diana 1. tom. dicta resolutione 11.

115. Quarta sententia limitat præcedentem, vt solum sit explicanda ea circumstantia in peccatis, quæ tendunt ad ruptionem claustrum virginis. Vnde si femina virgo se voluntarie polluat, vel tactus impudicos habeat, non debet explicare virginitatem: secus si consentiat etiam actu merè interno in copulam, quam rumpendum sit claustrum, per quam solam ruptionem perditur virginitas corporis, & à qua prouenit specifica malitia stupri, Hanc tenent multi Recentiores.

Dico primò: circumstantia virginitatis non est necessario explicanda in viro in illo peccato contra castitatem, neque etiam in femina, quando non agitur de fractione claustrum virginis. In hoc conuenio cum quarta sententia, & probatur breuiter, quia tunc non habetur species stupri, nec opponitur virginitati communiter acceptæ, licet opponatur virginitati, cui annexa est aureola. Hæc tamen aureolæ iactura non est tanti ponderis, vt transferat peccatum ad aliam speciem, vel debeat explicari: nam sine peccato potest aliquis eam aureolam perdere, nempe per matrimonium. Et quidem maius bonum est aliquod magnum augmentum gloriæ essentialis, quam aureola, & tamen non est peccatum mortale incurrere iacturam illius augmenti gloriæ, quod potuisset facile comparari per aliqua bona opera.

117. Denique si illa iactura aureolæ afferret malitiam specialiter explicandam, sequeretur, quod virgo, quæ simul perdidit integritatem claustrum virginis, & aureolam, eo quod primum peccatum contra castitatem fuerit copula illicita, non satisfaceret in confessione dicendo, se commisisse stuprum & am-

isisse claustra pudoris: sed deberet dicere, se amisisse simul aureolam, quia nunquam prius peccauerat mortaliter contra castitatem. Consequens autem nemo concedet: ergo iactura sola aureolæ non affert circumstantiam necessario explicandam. Vnde aliqui ex iis, qui tenent circumstantiam stupri esse necessario dicendam, fatentur, non debere explicari, quando vir, & femina virgo vellent habere copulam absque fractione claustrum virginis, si re vera nullum esset periculum fractionis, aut conceptionis ex illa seminatione.

Dico secundò: probabile esse, quod non debeat explicari ea circumstantia etiam ex parte femine consentientis absque raptu, vi, aut dolo, etiam si interueniat fractio claustrum virginis. Hanc tenent Soto loco citato, Suarez dicta sect. 4. Vasquez de restit. dicto dub. 1. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 10. dub. 1. Sanchez loco citato, Coninch, Nauarra, Megala, Tannerus, Molfesius, quos congerit, & sequitur Diana 1. tom. dicta resolutione 11. & 2. tom. tractatu 4. de Sacramentis, resolutione 67.

Probat primò ad hominem, quia ipsimet Auditores contrariæ sententiæ fatentur, in praxi difficile esse, obligare aut interrogare puellam, aut feminam nobilem, quæ confitetur aliquod peccatum internum contra castitatem, vt explicet, an sit virgo, vel corrupta: vnde plures vias excogitarunt ad excusandum confessarium, ne id teneatur interrogare. Henriquez lib. 2. de penit. cap. 8. §. 2. dicit, circumstantiam illam mutare quidem speciem, sed non esse interrogandam eam, quæ ex habitu, & statu suo virgo reputatur, quia, dum id non negat tacite fatetur se esse virginem: ipse tamen Henriquez in margine litteræ 1, dicit experientia constare, quod femina prudens, dum tacet, eo ipso significat, se non esse virginem, quia virgines solent statim id explicare. Vides, quam difficile sit iudicare de illa circumstantia, dum Confessarius non interrogat, cum alij dicant ex silentio præsumi virginem, alij præsumi corruptam. Alij aliter excusant confessarium: sed inconsequenter ad suam sententiam, vt probat Sanchez loco citato numero 15.

Secundò, & à priori probatur, quia illa circumstantia neque addit malitiam specie diuersam contra virtutem temperantiæ, neque etiam contra iustitiam. Nam in primis non habet oppositionem specie diuersam contra temperantiam prima transgressio, sicut nec contra iustitiam primum furtum, aut contra fidem prima hæresis, licet addant fortasse aliquam grauitatem.

Dicunt aliqui, specialem turpitudinem prouenire ex iactura signaculi, quod natura dedit femine, vt placeret viro suo. Sed contra primò, quia non tenetur femina conseruare ea omnia quibus magis placere possit postea viro suo futuro: non enim minus, sed magis fortasse dedit natura femine pulchritudinem, vt placeret viro, & conciliaret eius amorem: & tamen potest licite virgo eam pulchritudinem sibi tollere, licet hoc modo minus apta reddatur ad matrimonium, & ad placendum viro futuro. Secundò, quia natura ipsa prouidit remedia naturalia, quibus signaculi raptio non percipiatur à viro. Denique quia illud non est medium necessarium ad eum finem, cum etiam vidua absque integritate possit secundo viro placere: ergo ex hoc capite non arguitur specialis turpitudine contra castitatem.

Dices, illa raptio opponitur speciali virtuti, nempe virginitati; ergo pertinet ad speciale vitium; quia quidquid opponitur speciali virtuti affert specialem deformitatem. Respondeo, recte, Dd 4 quod

218.

219.

220.

221.

quod virginitas sit specialis virtus diuersa à castitate; non tamen est virtus obligans sub præcepto, sed pertinet ad consilium: cui virtuti non minus opponitur copula cum coniuge, quam cum alieno: negotio itaque esse speciale peccatum, quidquid opponitur speciali virtuti, sed id solum, quod opponitur speciali virtuti obliganti sub præcepto: ubi enim non est præceptum, non est peccatum defectus in tali virtute.

222.

Idem alij dicunt, hanc specialem deformitatem provenire ex abscissione signaculi, quæ licet non potest fieri, nisi in casu à natura intento, sicut nec potest licetè permitti abscisio alicuius membri, nisi propter bonum aliquod ab ipsa natura intentum, nec magis videtur domina femina illius signaculi, quam aliorum membrorum.

Sed contra primò, quia hoc non esset contra castitatem, aut temperantiam, sed contra obligationem conservandi vitam; & membra integra, quæ est diuersa virtus. Secundò, quia neque contra hanc virtutem esset peccatum graue, nam petitiissimi medici negant, fieri ruptionem alicuius membræ, sed meram dilationem partium orificij, quæ prius complicata erant, vt ex medicorum doctrina probant Sanchez *dist. a disput.* 14. numero 1. Tertio, quia licet esset ruptio alicuius tenerrimæ membræ, esset materia aded levis, vt non posset habere malitiam grauem contra obligationem conservandi proprium corpus: sicut neque est peccatum graue aliquam exiguam carnis particulam sibi abscindere.

223.

Restat probanda illa altera pars, quod scilicet circumstantia illa non addat malitiam specificam contra iustitiam: aliqui enim volunt, propter hoc esse declarandam, quia continet iniuriam contra parentes, in quorum potestate est puella, qui & magnam infamiam subeunt, & graue etiam onus augendi dotem, vel innuptam retinendi filiam. Igitur, quod neque ex hoc capite circumstantia virginitatis declaranda sit, probatur primò, quia etiam si demus, fieri parentibus iniuriam; id tamen per accidens se habet ad circumstantiam virginitatis: non enim minus Iuris habet pater in filiam iam semel corruptam, quam in virginem: nec minus patietur ignominiam ex secunda turpitudine filiae, quam ex prima, præsertim si prima mansit occulta, secunda verò publicetur. Augmentum item dotis, vel ineptitudo ad nuptias parum refert, quia potuit filia velle vnquam nubere, ergo potuit vitare illud onus in patre.

224.

Secundò probatur, quia si ex fastu, vel alia leui causa puella pateretur apertionem sigilli, nemo dicit, eam peccare peccato iniustitiæ contra parentes, licet ij tunc etiam cogantur, vel dotem augere, vel retinere innuptam. Tertio, quia virgo habet Ius supra suum corpus, quo quamuis non possit licetè vti extra vsum matrimonij: non tamen facit contra Ius Patris, quia sicut potest absque Patris iniuria non nubere; ita potest absque iniuria eiusdem male nubere, aut turpiter operari. Nec refert quod ex hoc consequatur ignominia patris; non enim teneor ego ex iniustitia impedire ignominiam, quæ aliis indirectè, & consequenter ex meo dedecore prouenit, v. g. quia amici mei sunt cognati, socij, &c.

225.

Maiores difficultates est, an contineat malitiam grauem contra obedientiam patri debitam, vel contra charitatem propter malum graue parentum, quod potuit, & debuit filia impedire, atque aded ex hoc saltem capite debeat illa circumstantia explicari. Et quidem quod sit culpa grauis contra obedientiam patri debitam, probari videtur ex communi sententia, quam affert Thom. Sanchez *lib. 4. de mari-*

monio disput. 23. docente, filium peccare grauius contrahendo matrimonium inuitis parentibus: magis enim videntur inuiti esse parentes in casu nostro, quando filia defloratur extra matrimonium, quam si matrimonium contraheret. Rursus, quod sit contra charitatem, & pietatem parentibus debitam, probatur, quia negari non potest, quod iis afferat grauissimam & iustissimam mortificationis causam, ignominiam, necessitatem augendæ dotis, & alia maxima detrimenta, quæ filia impedire poterat, ergo tenebatur. Vnde Pater Salas *dist. a. sect. 6. numero 59.* fateatur communiter habere malitiam grauem contra charitatem: quod etiam sentire videtur Lessius *dicto dub. 1. numero 5.* & alij.

Ego in primis existimo hanc malitiam non provenire ex circumstantia virginitatis, neque ad hanc malitiam intelligendam debere interrogari puellam, an esset virgo, quia vt notauit bene idem Lessius, ferè eadem mortificatio, & ignominia prouenire potest ex turpitudine filiae prius defloratæ, maxime si eius defloratio occulta manserit. Deinde nec ad hoc necesse erit interrogare, an esset sub cura parentum; quia etiam si non sit sub eorum cura, possunt grauissimam iacturam pati. Solum ergo attendi debet, an prouenerint, vel prouenire poterint ea detrimenta. Quod quidem, in iis præsertim, quæ sub parentum cura sunt, frequenter evenient, atque aded aderit malitia grauis contra pietatem, & amorem parentibus debitum; sicut & religiosus etiam, qui sua turpitudine dedecus, & infamiam affert suo ordini, videtur etiam ex hoc capite grauius peccare contra pietatem, & amorem, quem suo ordini debebat. Aliquando tamen vtrique excusantur ab ea malitia contrahenda, eo quod bona fide putant, peccatum non fore manifestandum, atque ided cessare periculum illius detrimenti, & offensionis. Quod verò attinet ad malitiam inobedientiæ contra parentes, non reperitur, quando expressè præcepto non prohibent: sicut nec religiosus peccans contra castitatem intelligitur peccare contra obedientiam, (licet id inuito certè Prælato faciat,) quandiu præceptum in ea materia Prælati non interposuerat. Vnde exemplum de matrimonio, quod inuitis parentibus illicitè contrahitur, nihil probat: tum quia alij multi, quos sequitur Sanchez *dist. a. libro 4. disputatione illa 23.* dicunt non teneri filiam per se loquendo, obedire patri præcipienti, aut prohibenti aliquas nuptias, nisi in raro casu propter maxima incommoda, quæ patri ex aliquo filiae matrimonio prouenirent: tum etiam, quia materia illa magis spectat ad patris gubernationem circa filium. Vnde idem Sanchez, & alij, qui negant virginem peccare contra parentes, quando permittit se deflorari, adhuc dicunt peccare filium, si non solum inuitis, sed etiam inconsultis parentibus matrimonium ineat, quod late probat idem Sanchez *dist. a. disputatione 23.* ex eo, quod in iis, quæ pertinent ad statum eligendum aded periculosum, debet filius audire consilium patris per se loquendo, licet non obligetur ad illud acceptandum.

Ex dictis colligitur, stuprum speciem distinctam à fornicatione simpliciter tunc interuenire, quando per violentiam, aut raptum, vel quando per dolum, aut fraudem, aut alio iniustitiæ genere virgo deflorebitur; ita vt stuprum addat supra raptum circumstantiam virginitatis: raptus enim potest esse respectu illius etiam, quæ non sit virgo: addit ergo stuprum supra raptum specialem malitiam inuitis deflorationis, vt explicuit Sanchez *dist. a. lib. 7. disputatione 14. numero 7.*

Restat

118. Restat breue dubium circa hoc, an quando virgo rapta est, & præ timore consensit suæ deflorationi, debeat ipsa explicare circumstantiam virginittatis, quando confitetur suum peccatum. Ad hoc respondet Sanchez *dicta disputatio 14. numero 13. negativè*: quia stupri malitia consistit in violenta ablatione virginittatis, ut dicimus: femina autem non aufert violententer, sed patitur aufert sibi violententer virginittatem: ergo non contrahit malitiam stupri.

120. Sed contra hoc est, quia ad minus virgo tunc cooperatur stupro viri, ergo ratione saltem cooperationis contrahit malitiam specialem illius peccati, cui cooperatur. Quamvis enim non possit aliquis iniuriam propriam à seipso pati? Ego tamen possum contrahere malitiam specialem ex cooperatione illicita ad peccatum alterius, qui iniuriam in me committit, verbi gratia, si absque rationabili causa petam mutuum sub usuris ab usurario, & inducam illum ad peccatum usuræ committendum; ex hac inductione contraho specialem malitiam per ordinem ad peccatum iniuste usuræ, quod illi persuasum.

121. Respondet idem Sanchez cooperatorem non contrahere illam malitiam, quando circumstantia illa pendet tota à voluntate cooperantis, prout contingit in presenti: nam in potestate virginis est per spontaneum consensum auferre ab illa actione circumstantiam stupri: ergo ipsa non potest contrahere malitiam ab illa circumstantia. Undè ostendit differentiam inter hunc casum, & illum, quo violententer rapta ab aliquo coniugato, præ timore consentit: hæc enim deberet explicare malitiam adulterij, cui cooperatur: quia illa circumstantia non pendet ab eius voluntate; nec ipsa potest eam malitiam auferre: in nostro autem casu potest malitiam violentiæ, & stupri auferre per spontaneum consensum, idèd non contrahit malitiam à cooperatione ad stuprum.

122. Hæc tamen regula, quod cooperator non contrahat malitiam cooperationis ex circumstantia, quæ dependet ab eius voluntate, nullo modo videtur vera, ut constat ex illato exemplo usuræ, cuius malitia dependet à mea voluntate, qua possum non esse inuitus, & tollere malitiam iniustitiæ, si gratis, ac sponte velim donare lucrum; & tamen si absque causa inducam usurarium ad mutuandum cum usuris, pecco peccato scandalii, & contraho aliquam malitiam ex illa circumstantia; ut fatetur cum communi idem Sanchez *lib. 3. in decalog. cap. 8. à numero 11.* Item, si aliquis ex industria offerat filiis, vel famulis occasiones furandi, peccat peccato scandalii, saltem si id ex gravi causa, & ob remedium ipsorum non faciat, ut fatetur idem Sanchez *lib. 10. de matrimonio, disputatio 12. numero 52. & 53.* & tamen circumstantia illa furii pendet ab eius voluntate, qui si non sit inuitus in ea actione, illa non erit contrahenda.

123. Idem constat in materia obedientiæ: nam si superior det absque causa subdito occasionem transgrediendi præcepta, peccat peccato scandalii, licet circumstantia illa obedientiæ pendeat à superioris voluntate, qui potest auferre obligationem, & præceptum, ita ut actio illa non sit inobediencia. Denique si Prælati det subdito religioso occasionem transgrediendi aliquod votum, quod habet, v. g. ieiunandi; peccat etiam peccato scandalii, licet circumstantia illa pendeat à voluntate Prælati, qui potest irritare votum subditi, & facere, quod illa comestio non sit contra votum: ergo quod cooperator possit sua voluntate auferre malitiam illius

circumstantiæ, non excusat à peccato scandalii in cooperatione ad tale peccatum.

Ratio autem à priori est, quia posse voluntate sua auferre circumstantiam, unde provenit malitia, dum tamen de facto eam non aufert, non facit, quod re ipsa non maneat tota malitia obiectiva: dum enim non donat, aut cedit Iure suo ille, qui famulis dat ex industria occasionem furandi, semper manet oblatio inuito domino, quia licet posset non esse inuitus; de facto tamen manet inuitus; ergo verè cooperatur ad ablationem rei inuito domino; & per consequens est causa furii, perinde ac si ea circumstantia non potuisset sua voluntate aufert. Similiter ergo in casu nostro, licet virgo posset non esse inuita, sed spontaneè consentire, interim tamen dum non sponte, sed metu coacta consentit; manet tota malitia stupri, seu deflorationis violentæ, & per consequens virgo cooperatur illi actui, qui habet talem malitiam obiectivam.

Aliudè tamen videtur difficile, quod ex violentia, quam patitur virgo, contrahit malitiam, quam non contraheret, si sponte, & non per vim aut metum consentiret. Ex hoc enim fieret, ut arguit Sanchez ibidem, quod gravius peccaret, quando propter metum, & vim consentiret, quam cum sponte, & absque violentia; quia contrahit specialem malitiam per ordinem ad violentiam, cui cooperatur. Confirmatur item ab eodem Auctore: quia si virgo tunc peccaret propter cooperationem ad violentiam viri, peccaret etiam ex simili cooperatione, qui coactus, ne occidatur, offert manum, ut abscindatur, quia hic etiam cooperatur violentiæ abscissioni: ergo sicut hic non participat malitiam ex violentia abscidentis; sic nec virgo, quæ simili metu consentit, participabit malitiam stupri.

Hoc tamen ipsum exemplum retorqueri potest, ad ostendendum, non debere excusari illam malitiam cooperationis in virgine metus causa consentiente, propter rationem supra adductam, sed propter aliam: quia ille, qui ne occidatur, offert manum abscindendam, non excusatur à culpa cooperationis ex eo, quod ipse propria voluntate possit auferre malitiam illius actionis: nullo enim modo potest ipse reddere licitam illam abscissionem, cum non sit dominus suæ manus; & tamen nullam malitiam contrahit ex cooperatione: ergo id, quod excusat cooperantem, non est, quod potuisset reddere licitam actionem illam, cui cooperatur, sed aliudè petenda est excusatio.

Concedo igitur, virginem eo casu non contrahere malitiam specialem stupri, aut per ordinem ad stuprum, nec debere ex hoc capite explicare in confessione circumstantiam virginittatis, ut explicet speciem peccati, cui cooperata est. Ratio autem petenda est ex eodem exemplo offerentis manum abscindendam, ne occidatur. Hic enim non cooperatur formaliter peccato abscissionis. Sed habet se sicut qui parato ad maius peccatum, consultat minus: hic enim non cooperatur peccato alterius, cum solum intendat impedire peccatum gravius: quare in rigore non consultat absolute peccatum, sed conditionatè: nempe, si peccandum tibi est, consulto, ut furaris v. g. & non occidas. In quo casu non solum consultum, sed cooperatio etiam licita est, ut docet idem Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 11. num. 18.* Sic ille, qui offert manum abscindendam, licet id facit, nec cooperatur ad peccatum, sed ad minus malum, cum minus peccatum sit mutilatio, quam homicidium: & idèd non contrahit malitiam aliquam ex peccato, ad quod videtur cooperari. Similiter ergo in casu nostro virgo excusatur à malitia cooperationis;

cooperationis; quia volenti eam occidere, vel violare, offert violationem, ne occidat, quod est cooperari ad minus malum. Est quidem differentia in hoc, quod offerens manum abscindendam, nullam protulit contrahit malitiam; quia illa abscissio respectu abscondentis est minus peccatum, & respectu ipsius patientis nullum est peccatum. At verò virgo consentiens violationi, ne occidatur, peccat quidem; quia ille consensus in copulam illicitam est intrinsecè malus, & respectu ipsius virginis non est minus malum, sed maius, quàm mors tolerata ob defensionem pudicitie, atque ideo respectu sui non excusatur, sed contrahit totam malitiam fornicationis. Cæterum considerando illam actionem, propter est cooperatio ad peccatum alterius, nullam habet malitiam, quia propter sic, est cooperatio ad minus malum alterius, cui non absolute, sed conditionatè exhibet se violandam; quasi dicat, si vis vel occidere, vel violare, me viola potius, quàm occidas: quod quidem neque in ratione consilij, neque in ratione cooperationis contrahit malitiam à peccato illius, cui cooperari videtur. Et hæc sufficiunt de hac prima circumstantia.

SECTIO V.

De secunda circumstantia, Quid, & præsertim prout se tenet ex parte rei voluta.

236.

Multa sunt, quæ sub hac circumstantia comprehenduntur, quæ ad tria capita reduci possunt. Primum de iis, quæ se tenent ex parte rei voluta. Secundum de iis, quæ se tenent ex parte personæ, ad quam terminatur peccatum, quæ circumstantia solet appellari, *circa quid*. Tertium de effectu sequuto ex peccato, quod etiam est aliquo modo obiectum volitum de quibus sigill. im dicemus, & prius in hac sectione de iis quæ pertinent ad primum caput, sub quo continentur multa dubia in ordine ad praxim confessionis. Et in primis pertinere videtur ad hanc circumstantiam quantitas obiecti, ut si furatus es mille. De hoc tamen dictum est supra *sect. 3.* dum diceremus de circumstantiis aggravantibus intra eandem speciem. Rursus ad eandem circumstantiam reduci posset quantitas ipsius peccati secundum durationem successivam: de hoc tamen commodius dicemus infra *sect. 14.* agentes de numero peccatorum explicando: nam si duratio explicanda est; ad hoc potissimum explicari debet, ut constet aliquo modo multiplicatio peccatorum, quæ in illo tempore fieri debuerunt. Veniamus ergo ad alia dubia magis propria huius loci.

§. 1. An copula consummata debeat explicari, & nonnulla alia circa eandem materiam.

237.

Primum dubium esse potest, an in peccatis carnis debeat necessariò explicari circumstantia copulæ consummata: an verò sufficiat dicere, commisi peccatum graue contra castitatem cum soluta. Non defuerunt Recentiores aliqui, qui dicerent, hoc sufficere, ut testatur Turrian. *de pœnit. quest. 9. art. 2. disput. 29. dub. 2. ad 5. argum.* Ratio autem esse potest, quia non apparet differentia specifica inter tactus impudicos, & copulam, cum sint contra eandem virtutem; & tactus ipsi pertineant ad simplicem fornicationem, sicut tactus impudici cum coniugata pertinent ad adulterium, & cum consangui-

nea ad incestum. Et confirmari potest; quia si tactus different speciem à copula, non satisfaceret pœnitens confitendo copulam, sed deberet explicare etiam tactus antecedentes, & consequentes; alioquin non explicasset totam speciem illius peccati.

Hæc tamen sententia opponitur communi Doctorum sensui, qui omnes, copulam explicandam esse dicunt. Ratio autem est, quia licet tactus etiam & oscula habeant suam malitiam in ordine ad copulam ad quam ordinantur: diverso tamen modo opponuntur virtuti castitatis: nam copula opponitur, tanquam actus consummatus; per quem cum effectu inferitur nocumentum proli: at verò tactus libidinosi opponuntur solum ut dispositiones propter periculum, quod afferunt, & quia ex se ordinantur, & disponunt ad copulam: quod non sufficit ad participandam eandem speciem malitiam: ut constat manifestè in delectatione mortali; quæ quidem accipit suam malitiam per ordinem ad pollutionem, vel actum consummatum, ad quem ex se disponit voluptas illa delectationis; & tamen nemo dicet, non differre speciem à pollutione consummata, & intenta, nec id vilius concessit. Adde, eiusmodi tactus non solum prohiberi propter dispositionem ad copulam, sed etiam propter delectationem turpem, quam in se habent: quia omnem eiusmodi delectationem natura voluit prohibitam esse extra matrimonium, quia alioquin homines minis de matrimonio curarent.

Vnde constat solutio ad rationem contrariam, Ad id verò, quod pro eius confirmatione dicebamus, negamus sequelam argumenti: quod quidem ab aduersariis etiam solvendum est. Ipsi enim negare non possunt, copulam cum persona habente votum, differre speciem à tactibus cum persona non habente votum. Pone ergo, sceminam habere votum, non quidem castitatis, sed expressum solius virginis, propter excludit primam solum copulam quod violat per copulam, post eam verò immediatè continuatur tactus libidinosi, & oscula, quæ quidem non habent malitiam contra votum, cum hoc cessauerit per copulam, per quam amissa fuit virginitas: & tamen in confessione non oportet explicare tactus illos immediatè consequutos post copulam, quia faciunt vnum peccatum cum ipsa copula, ut docet Henriquez *lib. 5. de pœnit. caput 5. num. 5.* & alij multi, quos ibi affert, & quos congerit Diana *tom. 1. tract. de circumstant. aggravant. resolut. 42. & tom. 2. tractat. 4. resolut. 67.* & dicemus infra *sect. 14.*

Quod idem argumentum fieri potest in sententia communi ponente differentiam specificam inter copulam cum virgine, & cum corrupta: nam copula cum virgine habuit illam speciem stopti, tactus verò immediatè consequuti iam habebant aliam speciem, cum iam non essent cum virgine, sed cum corrupta, & tamen neque illi debent explicari, sed sufficit confiteri copulam cum virgine. Quod si volueris contendere cum alijs Doctoribus, tactus consequentes ad copulam debere explicari in confessione, nihil refert: nam idem argumentum fieri potest de tactibus antecedentibus; pone enim sceminam voto adstrictam vitandi primum solum peccatum graue contra castitatem: hanc aliquis libidinosè tangit, ipsam consentire, ter, aut quater eodem impetu, & absque interruptione: ecce primus tactus habuit malitiam sacrilegij contra votum, quam malitiam posteriores non habuerunt; & tamen in confessione sufficit explicare tactum lascivium sceminæ habentis votum, absque eo, quod explicentur tactus posteriores carentes illa malitia.

Ratio